THEOLOGIA MORALIS

B. ALPHONSI MARIAE DE LIGORIO

EPISCOPI S. AGATHAE GOTHORUM

AC FUNDATORIS CONGREGATIONIS SS. REDEMPTORIS
IN INSTITUTIONES REDACTA

*Ad usum studiosae juventutis ipsius praesertim
Congregationis*

A BLASIO PANZUTI

EJUSDEM CONGREGATIONIS PRESBYTERO:

Adjectis permultis qua ad dogmata, qua ad praxim
qua ad eruditionem pertinentibus

VOLUMEN III.

*Complectens tractatus de Actibus humanis; de Peccato tum originali,
tum actuali; de Sacramentis in genere; ac de Baptismo,
de Confirmatione, et de Eucharistia.*

NEAPOLI MDCCCXXIV.
EX TYPIS JOANNIS DE BONIS.

Publica Auctoritate.

Labia Sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus. Malach. 5.

Sunt in nobis, qui timorem Dei habent, sed non secundum scientiam, statuentes duriora praecepta, quae non possit humana conditio sustinere. Timor in eo est, quia videntur sibi opus virtutis exigere. Sed inscientia in eo est, quia non compatiuntur naturae, nec aestimant possibilitatem.

S. Ambros. in Ps. 118. serm. 5.

CONSPECTUS

HUJUS TERTII VOLUMINIS.

LIBER IV.

TRACTATUS UNICUS.

DE ACTIBUS HUMANIS.

LIBER V.

DE PECCATIS.

TRACTATUS I.

DE PECCATO ORIGINALI.

TRACTATUS II.

DE PECCATO ACTUALI.

LIBER VI.

DE SACRAMENTIS.

TRACTATUS I.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

TRACTATUS II.

DE SACRAMENTIS IN SPECIE. ET 1.° DE BAPTISMO.

TRACTATUS III.

DE CONFIRMATIONE.

TRACTATUS IV.

DE EUCHARISTIA.

LIBER IV.

TRACTATUS UNICUS.

DE ACTIBUS HUMANIS.

Hactenus de regula proxima, et remota humanorum actuum, de conscientia scilicet, et de legibus, ac de his tum in generali, tum in particulari, sive Decalogi, sive Ecclesiae, nec non de iis, quas unusquisque sibi imposuerit statum aliquem, vel officium aliquod suscipiens. Agendum modo est de ipsis actibus humanis; eorum nempe principiis; bonitate, vel malitia; merito, vel demerito: de quibus proinde in hoc tractatu, quem tribus capitibus absolvemus. Sit igitur.

CAPUT I.

De actibus humanis, eorumque moralitatis principiis.

1. Usus invaluit, quod actus, *qui ab homine procedunt absque deliberatione*, *eoque inconsulto* (est enim deliberatio consultatio quaedam, seu mediorum inquisitio, ad quod pertinet quaedam mediorum cum fine, et eorumdem inter se collatio) dicantur actus hominis: *qui vero ab homine fiunt cum deliberatione*, dicantur actus humani. Proprie enim loquendo, ea

omnis, et sola actio, quae ab homine fiat, in quantum homo est, seu in quantum differta creaturis irrationalibus, dicenda est humana. Ab his autem differt in quantum est dominus suorum actuum, idest deliberate agit. Patet ergo propositum. Porro ex actibus humanis alii dicuntur eliciti; suntque ii, *qui immediate a voluntate proficiscuntur*: alii imperati; suntque ii, *qui a voluntate proficiscuntur, sed imperante alias potentias.*

2. Eorum autem moralitatis principia sunt intellectus, voluntas, et libertas. *Fuori da essi* (ita praeclare Genuensis), *fuori ancora dall' atmosfera della moralità: e trattandosi di azioni, che non derivino totalmente da' detti principj, la loro moralità corrisponde alla parte, che l' intelletto, e 'l libero arbitrio vi hanno avuto. Onde parlando S. Agostino dell' incesto di Lot, dice, che nel giacer colle figlie ei peccò*, non quantum ille incestus, sed quantum illa ebrietas meruit (*Diceosina*). Et quoad 1.m, nempe intellectum, influit hic in actionem humanam per cognitionem, et collationem actionis, et legis. Quoad 2.m, distinguendum est voluntarium a spontaneo, definitur enim spontaneum *quod est a vi insita, qua ens absque principii externi efficientis concursu ad unam prae aliis per eamdem vim possibilibus actionem determinare se potest*: est namque spontaneitas, ut eam definit Sigismundus Storchenau, *facultas, qua ens seipsum sine principii efficientis externi concursu per principium internum, seu per vim suam ad unam prae aliis per eamdem vim possibilibus actionem determinare potest* (*Phych. sect.* 3. c. 1.° §. *CV.*). Volunta-

rium vero definitur, *quod est a principio intrinseco, seu voluntate cum cognitione objecti*; ex quo sequitur, quod omne voluntarium est spontaneum, sed non e converso: sicut etiam sequitur, quod ut actio dicatur voluntaria quoad omnes sui partes, opus est, ut quoad omnes dignoscatur, ita ut si aliqua circumstantia sine culpa ignoretur, nec etiam actio est voluntaria quoad illam circumstantiam ignoratam. Sic qui accedat ad mulierem, quam nesciat esse nuptam, non committit peccatum adulterii, sed simplicis fornicationis, cum involuntarie se habeat quoad circumstantiam Matrimonii.

3. Dividitur porro voluntarium 1.° in voluntarium simpliciter, et in voluntarium secundum quid. Illud dicitur, *quod est a voluntate sine ulla repugnantia*: hoc *quod est quidem a voluntate*, *sed cum aliqua repugnantia*, ut projectio mercium in mare ad naufragium vitandum. Dividitur quoque voluntarium in voluntarium in se, et in voluntarium in causa: in quod etiam recidit illa voluntarii divisio in voluntarium directe, ac voluntarium indirecte. Primum dicitur illud, *quod est volitum in seipso*, *et immediate*. Alterum vero *quod est volitum non in se*, *sed in alio*, *quod apprehenditur saltem confuse*, *velut causa illius effectus*; *quem agens etsi possit*, *ac teneatur impedire*, *causam tollendo*, *hanc tollere*, *ejusque effectum impedire negligat*: ex quo sequitur, quod ut aliquod dicatur voluntarium in causa, seu indirecte, necesse est 1.°, ut agens ponendo causam, animadvertat saltem confuse, et in genere effectum ex illa secuturum, quod enim nullatenus est cognitum, nullatenus quoque dici potest

voluntarium : 2.° , ut possit , ac teneatur effectum illum impedire, causam tollendo , ac nihilominus causam tollere , ejusque effectum impedire negligat ; cum enim causam non tenetur impedire , eaque duplicem effectum habet, bonum unum , malum alterum , ponere eam potest, ut recte D. Th. disserit, *ex intentione solius effectus boni , permissive se habendo ad malum.* Hinc pravum a se conceptum habitum extirpare non curanti sunt voluntarii in causa , ideoque totidem peccata omnes actus ex habitu procedentes ; etsi enim confuse animadvertat actus ex habitu secuturos , donec illum extirpet, eumdemque extirpare et possit , et teneatur , illum nihilominus extirpare negligit. E contra qui ex justa , et necessaria causa aliquid agat , ex quo effectus malus preter intentionem sequatur , non peccat , licet illum praevideat , cum causam tollere non teneatur. Sic Chirurgus mulierem ex necessitate curans in secretioribus , licet ex eorum necessario aspectu , et tactu praevideat , turpes carnis motus se passurum , non peccat , modo absit periculum consensus : cum enim non teneatur motus illos impedire , eorum causam tollendo , nec etiam illi voluntarii in causa dicendi sunt.

4. Diutius modo immorandum super divisione voluntarii in necessarium , et liberum. Illud dicitur, *quod est a voluntate ad unum determinata* ; necessitas namque est *determinatio ad unum.* Liberum vero , *quod est a voluntate ita disposita , ut habitis omnibus ad agendum requisitis , aeque possit objectum velle , aut non velle* : *ac pariter illud velle , aut nolle* ; *uti etiam illud , aut aliud velle* : definitur enim libertas *ipsa*

voluntas, quatenus habitis omnibus ad agendum requisitis, facultatem habet se determinandi per electionem ad utrumlibet ex duobus oppositis, seu incompossibilibus: quorum quia alia sunt contradictoria, alia contraria, alia specie tantum diversa, hinc prodiit divisio in libertatem contradictionis, contrarietatis, et specificationis. *Libertas* nempe, *quatenus objectum potest velle, vel non velle*, dicitur contradictionis, seu etiam exercitii: *quatenus objectum potest velle, vel nolle*, dicitur contrarietatis: *quatenus demum potest velle hoc objectum, vel aliud*, dicitur specificationis.

5.° Diximus autem: *Habitis omnibus ad agendum requisitis*; idque probe recolendum, tamquam aliquid necessario ingrediens in libertatis ideam: tum quia ubi desint praerequisita ad agendum, omissio actus impotentiae tribuenda est, non libertati: tum quia si agens necessarium per id constituitur, quod *habitis omnibus requisitis ad agendum nequeat non agere*, agens liberum per id constitui dicendum est, quod *habitis omnibus ad agendum requisitis, possit aeque agere, vel non agere*. Hinc colligitur, idque probe etiam recolendum, quod cum praerequisita ad agendum constituant actum primum proximum causae, ut Philosophi loquuntur, hinc ut Ens vera libertate fruatur, necesse est, ut ejus actus primus proximus indifferens sit ad actum secundum, adeo ut quidquid hanc indifferentiam laedat, simul etiam libertatem ipsam radicitus convellat. Quare factum, ut dum Philosophi de libertate loquuntur, prout complectitur supra tres memoratas libertatis species, libertatem quoque indifferentiae eam appellare consueverint.

6. Ad rationem tamen libertatis non pertinere illam, quae dicitur *contrarietatis*, sive ut Ens, quod dicitur liberum, indeterminate se habeat ad bonum, vel ad malum, commune est ap. DD. cum D. Th. *Dist.* 25. *q.* 1. Ratio autem est, quia libertas est *voluntas, quatenus habitis omnibus ad agendum requisitis, facultatem habet se determinandi per electionem ad utrumlibet ex duobus oppositis, seu incompossibilibus.* Voluntas autem ferri nequit, nisi in bonum, nec potest, nisi bonum prosequi, verum nempe, vel apparens. Et libertas igitur. Quod autem feratur in bonum apparens, oritur ex mentis imperfectione, ex quo fit, quod plerumque bonum apparens pro vero accipiat, licet reapse, et in veritate sit malum: Ex imperfectione igitur oritur, quod libertas feratur quoque in bonum apparens, seu malum; ac proinde Ens, quod perfectissima libertate gaudet numquam fertur in malum: ideoque etiam dicendum, quod libertas contrarietatis non pertinet ad libertatis essentiam, sed dicenda potius est ejus imperfectio.

7. Ex iis autem, quae mox diximus de voluntario, et libero, manifeste sequitur quid intelligendum sit per involuntarium, et necessarium; quodque utrumque minuat, vel etiam tollat. Dicitur itaque involuntarium, *quod procedit ab extrinseco principio contra voluntatis propensionem, vel si a principio intrinseco, idest voluntate, sine tamen cognitione objecti.* Ac duplex distinguitur; in involuntarium simpliciter, et in involuntarium secundum quid. Primum est, *quod ita voluntati displicet, ut nullatenus, ac sub nullo respectu illud velit.* Alterum, *quod licet sub aliquo*

respectu voluntati displiceat, *sub alia tamen ratione ei placet*, *et ab ea admittitur*. Necessarium vero, cum opponatur libero, dicendum est illud, quod paullo supra definivimus, nempe *quod est a voluntate ad unum determinata*: sicut etiam necessitas, cum libertati opponatur, dicenda quoque est paullo supra definita, scilicet *determinatio ad unum*. Ac duplex etiam distinguitur: si enim oriatur a principio extrinseco, necessitas dicitur extrinseca: si vero a principio intrinseco, necessitas dicitur intrinseca; quae subdistinguitur in antecedentem, et consequentem. Necessitas antecedens intrinseca *est intrinseca ad unum determinatio antecedens omnem liberam voluntatis determinationem*, *et ab ea independens*. Necessitas intrinseca consequens *est intrinseca ad unum determinatio procedens ex libera voluntatis electione*, *et in eo consistens*, *quod nequeamus idem simul velle*, *et non velle*. Ex tradita autem definitione necessitatis extrinsecae, et intrinsecae sequitur etiam quid intelligendum sit per libertatem a coactione, et per libertatem a necessitate. Illa nempe dicitur *immunitas ab omni determinatione ad unum imposita a principio extrinseco*; *cui etsi pro viribus resistatur*, *nec etiam superari possit*. Haec vero *immunitas ab omni determinatione ad unum*, *quam aliquod principium intrinsecum antecedens omnem liberam voluntatis determinationem*, *et ab ea independens*, *imponat*.

8. Ad ea nunc, quae voluntarium, et liberum minuunt, vel etiam omnino tollunt. Et 1.° est vis; ut pote cujus effectus est violentum, quod et voluntario, et libero directe adversatur, ac definitur: *Id*,

quod est a principio extrinseco, resistente eo, qui vim patitur. Advertendum tamen, quod *si resistat pro viribus*, violentum dicitur tale absolute, ac prorsus tollit et voluntarium, et liberum: at *si non resistat pro viribus, sed aliquantulum*, violentum dicitur tale secundum quid, ac solum minuit voluntarium, et liberum; cum enim voluntas non resistit quantum potest, semper ex parte aliqua remanet ratio voluntarii, juxta majorem, vel minorem resistentiam, quam adhibuit. Advertendum quoque, quod actus eliciti numquam pati possunt violentiam, quia nemo invitus velle potest. Solum itaque inferri potest imperatis, et quidem iis, qui per corpus **exerceantur**, ut ex se patet.

9. Minuit quoque et voluntarium, et liberum metus, qui definitur: *Trepidatio animi, instantis, vel futuri periculi causa*: ac dicitur gravis, si virum constantem commovere soleat; secus vero levis: *Sul che però è d'avvertirsi* (ita Genuensis, quod et nos innuimus l. 2. n. 290.), *che il timore essendo secondo gli Stoici un' apprensione di un male soprastante, quindi nasce più dal modo di apprendere il male, che dal male medesimo; onde la natura del timore non è da definirsi dalla quantità del male, ma dalla disposizione di colui, che teme* (*Diceosina*), ab indole scilicet, et qualitate patientium. Aliud autem est agere cum metu, aliud agere ex metu; 1.^m^ namque est *agere ex aliquo fine, licet cum timore aliquo actum comitante*: alterum *moveri ex metu, tamquam ex causa ad operandum.* Utrumque vero solum minuere voluntarium, solumque efficere, ut illud sit secundum quid, probatione non eget.

10. Sequitur concupiscentia, sub cujus nomine hic venit *motus appetitus sensitivi in bonum sensibile*. Est autem antecedens, *quae a voluntate non imperatur, sed ab objecto sensibili excitatur, voluntate nil plane conferente*: consequens, *quae a voluntate imperatur*; de qua proinde fieri nequit quaestio, quod sit maxime voluntaria. Et ipsa tamen concupiscentia antecedens per se non tollit voluntarium, quin et illud saepe auget; non tollit namque ex se cognitionem objecti, et aliunde voluntatem magis erga illud inclinat. Nihilominus per accidens saepe minuit voluntarium, et aliquando illud omnino tollit. Primum, quia saepe minuit cognitionem objecti, quae necessaria est ad rationem voluntarii. Alterum, quia aliquando ita antevertit omne judicium, omnemque consensum voluntatis, ut deliberationi, ac libertati locum non relinquat.

11. Quibus praejactis: adesse in nobis libertatem ab omni necessitate antecedenti, auctoritas et Scripturarum, et SS. Patrum, et ratio ipsa evidenter demonstrant. Et 1.° liberum hominis arbitrium Scripturae adstruunt et verbis, quibus Deus allocutus fuit Cain: *Quare iratus es, et cur concidit facies tua? Nonne si bene egeris, recipies: si autem male, statim in foribus peccatum aderit? Sed sub te erit appetitus tuus, et tu dominaberis illius* (*Gen.* 4.). Et verbis, quibus Moyses populo Dei mandata proponens: *Considera* (inquit), *quod hodie posuerim in conspectu tuo vitam, et bonum, et a contrario mortem, et malum. Testes invoco hodie Coelum, et Terram, quod proposuerim vobis vitam, et mortem, benedictionem,*

et maledictionem. Elige ergo vitam, ut et tu vivas, et semen tuum, et diligas Dominum Deum tuum, et obedias voci ejus, et illi adhaereas (*Deut.* 3.). Et illis Eccl. verbis: *Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui; adjecit mandata, et praecepta sua; si volueris mandata servare, conservabunt te. Apposuit tibi aquam, et ignem; ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita, et mors, bonum, et malum: quod placuerit ei, dabitur illi* (15.). In quibus omnibus veri, et genuini libertatis arbitrii caracteres, vera, et genuina libertatis notio exprimuntur; potestas scilicet bene, vel male agendi, subjectio appetitus, dominium, quod in illum habemus, vis demum pro libito eligendi bonum, vel malum, vitam, vel mortem, benedictionem, vel maledictionem, ut pote in manu proprii consilii, ac penes nos, prout libuerit, Dei mandata servare, vel non servare, et ad bonum, vel ad malum manum porrigere: quae omnia incompatibilia prorsus esse cum determinatione ad unum, notius est, quam ut probatione egeat.

12. Quibus accedunt tot Scripturarum exhortationes; *Ubi enim dicitur* (ut sapienter D. Aug. disserit), *Noli vinci a malo: Nolite fieri, sicut equus, et mulus, quibus non est intellectus: Noli repellere consilia matris tuae: Noli esse sapiens apud te ipsum: Noli deficere a disciplina Domini: Noli negligere legem: Noli abstinere bene facere egenti: Noli intendere fallaci mulieri: Noluit intelligere, ut bene ageret: Noluerunt accipere disciplinam: quid ostenditur; nisi liberum arbitrium voluntatis humanae? Nempe ubi dicitur: Noli*

hoc, et noli illud, et ubi aliquid faciendum, vel non faciendum in Divinis monitis exigitur, satis liberum demonstratur arbitrium (*lib. de gr.*, *et lib. arb. c.* 2.). Idem quoque confirmant tot earumdem Scripturarum praecepta, et minae, nam ut idem S. D. disserit: *Quis non clamet, stultum esse praecepta dare ei, cui liberum non est, quod praecipitur, facere? Et iniquum esse damnare eum, cui non fuit potestas jussa complere* (*lib. de fide contr. Manich. c.* 10.)? Scripsit quidem S. D. in Ench.: *Libero arbitrio male utens homo, et se perdidit, et ipsum* (c. 3.). Et ep. 217.: *Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus.* Quo sensu tamen id dixerit, luculenter declarat lib. 1. contra duas ep. Pelag.; ubi cum accusaretur a Pelagianis, quasi dixisset, per peccatum Adae periisse liberum hominis arbitrium, sic mentem suam exponit: *Quis autem nostrum dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem periit per peccatum; sed illa, quae in Paradiso fuit habendi plenam cum immortalitate justitiam* (c. 2.). Cum scilicet in statu naturae innocentis nulla fuerit concupiscentia, nulla carnis libido, nulla pugna, sed plenissima pax; hinc in illo statu fuit homo liberrimus, non modo quoad substantiam, ut ajunt, in quantum erat indifferens ad agendum, vel non agendum, sed etiam quoad accidentalia libertatis privilegia, quatenus scilicet facillime poterat quodlibet operari bonum nullis retardatus impedimentis, sicut etiam ab omni malo abstinere nullo pondere ad vitium impulsus. A qua libertatis integritate, et perfectione cum in praesenti statu naturae lapsae exci-

derit; hoc sensu S. D. ajebat, periisse liberum hominis arbitrium, siquidem revera periit quoad illam integritatem, et perfectionem, licet non perierit quoad rem, et substantiam. Sufficiat autem ex SS. P.P. Aug. tantum laudasse, utpote cujus solius auctoritate Haeretici libertatis osores abutuntur; atque ad rationes properemus.

13. Et 1.° unicuique sensus intimus testatur, ita se ferri erga objecta, ut habitis omnibus requisitis ad ea volenda, possit ea velle, aut non velle; velle item, aut nolle; velle hoc demum, aut aliud objectum. Quid autem absurdius dictu, quam quod ex necessariis inclinationibus oriatur sensus libertatis? Cumque pro aeque certis habenda sint, quae per idem medium innotescunt, aeque igitur pro certo habendum est et quod cogitamus, et quod liberi sumus, propterea quod utrumque per eumdem sensum intimum nobis constat. Intimo sensui accedit, quod penes hominem est respectu cujusvis objecti illud velle, aut non velle; aut etiam nolle, idest contrarium velle; sicut etiam aliud velle, quin id absque motivo efficiat. Et sane si motivum volitionis est boni perceptio, perceptio non boni movere voluntatem poterit ad illud non volendum. Quodvis autem objectum, si finitum, eo ipso defectum bonitatis, seu non bonum in se continet. Si infinitum, eo ipso, quod in hac vita obscure cognoscatur, ratione infiniti jam caret. Patet igitur, penes hominem esse respectu cujusvis objecti illud ob aliquod motivum velle, aut non velle. Poterit autem illud nolle, si accedat mali perceptio, puta si objectum aliquid incommodi, vel aliud simile praeseferat; atque ob idem mo-

tivum ad aliud objectum se vertere: En igitur, quomodo respectu cujusvis objecti habet homo potestatem illud volendi, aut non volendi; item volendi illud, aut nolendi; sicut etiam aliud objectum volendi, quin id absque motivo efficiat. Hinc D. Th. ait, quod *homo est liberi arbitrii ex hoc ipso, quod rationalis est*: per rationem namque objectum voluntati proponitur sub praedictis repectibus, atque hinc cum quadam veluti indifferentia, ex qua inde ipsius voluntatis indifferentia oritur. Quare etiam cum quidpiam absque sufficienti rationis usu egerimus, illud per conscientiam nobis quasi non tribuimus: sicut etiam nemo ob actionem malam in phrenesi positam culpae se reum agnoscit.

CAPUT II.

De moralitate actuum humanorum; seu ipsorum bonitate, vel malitia.

1. Definitur bonitas actionis humanae *illius conformitas, et convenientia cum natura rationali*: ex quo sequitur, quod actio bona *est actio humana conformis, ac conveniens naturae rationali.* Ejus malitia vero *difformitas, et repugnantia ejusdem cum natura rationali*: ex quo sequitur, quod actio mala dicenda est *actio humana naturae rationali dissentanea, et repugnans.* Quam etiam Lig. doctrinam esse, patet ex l. 5. art. 1. §. IV. Et sane quod necesse non sit bonitatem, vel malitiam actuum definire per eorum convenientiam, vel repugnantiam cum ratio-

ne, et lege, probatur 1.°, quia eo ipso, quod natura rationalis est ad imaginem, et similitudinem Dei, actus, qui ei conveniunt, aut repugnant, conformes quoque sunt, aut difformes legi aeternae, utpote quae ipse Deus, sive ut eam cum D. Aug. definivimus l. 1. n. 58. *Voluntas Divina ordinem naturalem conservari jubens; perturbari vetans.* Quod cum ita sit, satis est tam bonitatem, quam malitiam ipsorum definire per eorumdem conformitatem, vel repugnantiam cum natura rationali: patet ergo propositum. 2.° quia quidquid lex aeterna praecipit, vel prohibet, ideo praecipit, vel prohibet, quia conforme, vel repugnans naturae rationali; cur enim iidem motus, qui in brutis sunt naturales, et secundum legem aeternam diriguntur, hominibus tamen a lege aeterna prohibentur, nisi quia brutorum natura non est rationalis, ideoque nec ad Dei imaginem, et similitudinem; hominis vero natura est rationalis, ideoque ad imaginem, et similitudinem Dei, a qua homo recedit, cum brutorum more operatur, et vivit? Superfluum ergo bonitatem, aut malitiam actuum humanorum definire per eorum convenientiam, aut repugnantiam cum ratione, et lege, sed tantum per convenientiam, aut repugnantiam cum natura rationali: 3.° quia si ad malitiam actionis requireretur cognitio ejus oppositionis cum ratione, et lege, actio, quae menti obversaretur solum ut rationi opposita, non esset mala; quod enim definitio tam late patere debeat, quam definitum, ita ut mutuo substitui possint, nemo est, qui neget, vel negare queat. Actio autem, quae obversatur menti solum, ut rationi opposita, jam est

mala, et ad peccatum imputatur; ut constat ex prop. damnata ab Alex. VIII., quae ajebat: *Peccatum philosophicum est actus humanus disconveniens naturae rationali, et rectae rationi. Theologicum vero est transgressio libera Divinae legis. Philosophicum, quantumvis grave, in illo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non offensa Dei, neque aeterna poena dignum*: Sufficit ergo ad actionis malitiam, quod cognoscatur tantum repugnare naturae rationali. Utque idem diversimode dicamus, si malum dicendum esset, quod menti obversatur, tamquam repugnans et rationi, et legi, sequeretur inde, quod immerito damnata fuisset propositio, quae ajebat, peccatum philosophicum nec Deum offendere, nec esse peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque aeterna poena dignum, quippe quod, ut patet ex ipsa propositione damnata, *actus humanus, qui menti obversatur, ut disconveniens tantum naturae rationali, et rectae rationi.* Nefas autem dictu, quod immerito damnata fuerit: Malum igitur dicendum quod menti obversetur, etsi ut repugnans tantum naturae rationali, seu rectae rationi; ac sicut pro certo habendum, quod peccatum philosophicum est malum, et quidem Deum offendens, ipsiusque amicitiam dissolvens, atque aeterna poena dignum, ita et pro certo habendum, quod actus menti se objiciens, ut repugnans tantum naturae rationali, seu rectae rationi, hoc ipso sit malus.

15. Haec igitur, quam supra definivimus, bonitas, ac malitia humanorum actuum. Bonum autem haberi non posse, nisi *ex integra causa*, notum cuique est:

ex quo sequitur, quod ut actio sit bona, necesse est ut talis sit quoad objectum, quoad finem, et quoad omnes ejus circumstantias, quodque secus dicenda sit mala, ut namque commune adagium subdit: *Malum ex quocumque defectu.* Et 1.° quoad objectum, quod definitur *id*, *circa quod versatur actio*, seu *id*, *in quod voluntas fertur*, illud praecipue esse, ex quo desumenda est bonitas, ac malitia humanorum actuum, patet ex illis Os. verbis: *Facti sunt abominabiles*, *sicut ea*, *quae dilexerunt* (9.). Unde D. Aug. ep. 52. ad Maced. ait: *Mores nostri ex eo*, *quod unusquisque diligit*, *dijudicari solent.* Objectum autem erit bonum relative ad operantem (non enim hic agitur de objecto absolute bono, quod definitur: *Res quaelibet in se perfecta*; quo sensu omnis creatura est bona), si sit ipsius perfectivum, eatenus enim est ipsi conveniens, ideoque appetibile: malum vero, si sit ipsi nocivum, ideoque dissentaneum, ac fugiendum: ex quo sequitur, quod nec divitiae, nec voluptates, nec honores sunt per se hominis bonum, quia illum non perficiunt, nec reddunt meliorem, immo si illis adhaereat, deprimunt, deterioremque efficiunt, sed tantum si iis utatur ad sui, vel aliorum perfectionem: *Fieri non potest* (apposite D. Aug.), *ut res deterior te faciat melioremte. Homo es: deterius te est quidquid cupis.*

16. Desumendam 2.° esse bonitatem, sicut et malitiam humanorum actuum a fine (qui definitur: *Id*, *cujus gratia aliquid fit*; estque bonus, ut de objecto diximus, si hominis sit perfectivus, eatenus enim est ipsi conveniens, et appetibilis), patet ex illis

Christi verbis ap. Matth. : *Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis* (6). Quae verba D. Ambr. explicans : *Bona est* (inquit) *misericordia, bona est oratio; sed potest injuste fieri, si jactantiae causa aliquis pauperi largiatur, ut videatur ab hominibus* (*In c. 1. Luc.*). Et D. Aug. : *Non valde attendas, quid homo faciat, sed quid, cum facit, aspiciat* (*In Ps.* 31.). Ex quibus D. Ambr., ac D. Aug. verbis sequitur, quod si ad hoc, ut actus humanus malitiam ob objecto accipiat, satis est, quod feratur in objectum malum, nec refert, sive sub ratione mali in illud feratur, sive sub ratione boni : ad hoc tamen, ut actus bonitatem moralem desumat ex objecto, non sufficit, ut simpliciter feratur in objectum bonum materialiter, sed requiritur, ut feratur quoque in objectum bonum, quatenus bonum est, et sub ratione boni, potest namque objectum in se bonum bene, vel male appeti, ex bono scilicet, vel malo motivo.

17. Immo non solum bonitatem, sicut et malitiam humanorum actuum desumendam quoque esse ex fine, ob quem fiant, DD. docent, sed eorumdem essentialem differentiam, seu speciem desumendam quoque esse ex fine proximo; quem agens spectat, et intendit, communis est DD. sententia: ex quo sequitur, actus, qui habent eumdem finem proximum, tametsi habeant diversa objecta materialia, esse ejusdem speciei; et e contrario actus, qui licet habeant idem objectum materiale, a motivis tamen specie distinctis oriuntur, specie distingui. Sic jejunium, vel eleemosyna pure ob amorem Dei, utque illi gloriam, et hono-

rem deferant, sunt formaliter actus charitatis, quamvis materialiter ad virtutes specie diversas, abstinentiae scilicet, et misericordiae pertineant. E contrario oratio, quae materialiter considerata est actus virtutis Religionis, si fiat ex motivo satisfaciendi Deo pro peccatis, erit simul et actus virtutis Religionis, et actus virtutis poenitentiae. Qua super re animadvertendum quoque est, quod finis alius dicitur *operis*, estque *finis ipsi operi intrinsecus*; ut finis largientis pauperi eleemosynam ad misericordiae opus exercendum: alius dicitur *operantis*, estque *ille, quem ipse operans suo arbitratu sibi praefinit*; ut finis largientis pauperi eleemosynam ad propria redimenda peccata. Porro, ut primus actui speciem tribuat, necesse non est ulla explicita relatione ad talem finem. Ut autem alter actui speciem tribuat, necesse est, ut operans actualiter, aut saltem virtualiter actionem suam in illum referat.

18. Bonitatem demum, sicut et malitiam humanorum actuum desumendam 3.° esse a circumstantiis, ex eo patet, quod passim in Scripturis actiones plurimae propter circumstantias aliquas bonas, vel malas laudantur, vel vituperantur: ut Matth. 6. laudatur eleemosyna, et oratio facta *in abscondito*: et Lucae 21. commendatur eleemosyna duorum minutorum, et aliis majoribus praefertur ob circumstantiam personae viduae, et pauperis, a qua largita fuerat: et ejusdem Lucae 16. omissio eleemosynae ex variis circumstantiis in persona divitis Epulonis culpabilior demonstratur.

19. Quid autem sibi velint, et quaenam sint actuum

circumstantiae; operae pretium est praecise explicare. Definiuntur igitur *accidentia quaedam actus humani, sine quibus actus ille secundum essentiam esse, et concipi potest.* Sic quia eleemosyna concipi non potest absque largitione alicujus rei pauperi facta, sequitur, largitionem illam non esse circumstantiam, sed ipsam essentiam eleemosynae. Quia vero eleemosyna concipi potest, absque eo quod cogitetur, si pauper, cui facta fuerit, sit pius, vel scelestus, Clericus, vel Laicus, sequitur, pauperis pietatem, vel scelestam vitam, ejusque statum Clerici, vel Laici esse accidentia, seu circumstantias eleemosynae. Sic etiam quia furtum concipi non potest absque acceptione rei alienae, sequitur, acceptionem illam non esse circumstantiam, sed ipsam essentiam furti. Quia vero furtum concipi potest, absque eo quod cogitetur de loco sacro, vel profano, de tali, vel tali quantitate, sequitur, et locum, et hanc, vel illam quantitatem esse accidentia, seu circumstantias furti.

20. Septem autem numerantur actuum humanorum circumstantiae, ac sequenti versu exprimuntur: *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.* Et 1.° *quis* denotat qualitatem operantis, periti ex. gr., vel rudis; Sacerdotis, vel Laici; obstricti, vel non voto etc. *Quid* denotat qualitatem objecti ipsius actus, consanguinitatem ex. gr. illius, cum qua habita fuit copula carnalis, etc. *Ubi* denotat qualitatem loci. *Quibus auxiliis* personas, media, instrumenta, ac id genus alia, quibus quis usus fuerit ad perficiendum actum. *Cur* finem, non quidem operis, utpote qui satis ex opere intelligitur, sed operantis. *Quomodo*

actus modum, ejus nempe intensionem, vel remissionem, spontaneitatem, vel coactionem, contra, vel secundum conscientiae dictamen. *Quando* circumstantiam temporis, atque actus durationem. Aliquando autem addunt actui novam speciem bonitatis, vel malitiae, aliquando sunt tantum aggravantes; quod infra opportunius explicabitur.

21. Ambae nunc heic loci discutiendae sunt quaestiones: Prima, an actus externus addat aliquam bonitatem, vel malitiam actui interno? Ad quam breviter respondemus cum D. Th. *in* 2. *Dist.* 40. *q.* 1. *n.* 3., et communi, externam actionem nihil per se, et ex natura sua addere bonitatis, vel malitiae actui interno; quia enim, ut D. Aug. scribit, *voluntas est, qua peccatur, et recte vivitur*, hinc actus externus nullam habet imputabilitatem sibi propriam, et distinctam ab imputabilitate actus interni. Regulariter tamen auget bonitatem, vel malitiam actus interni, quia est occasio, et causa, ut actus interni multiplicentur, vel diutius durent, vel sint intensiores. Altera, an dentur, vel saltem dari possint actus indifferentes in individuo; super qua diutius immorandum.

22. Et 1.° actus humanus considerari potest in specie, et in individuo. Actus humanus in specie consideratus *est actus humanus spectatus dumtaxat quoad ejus objectum, praescindendo ab ejus fine, ac circumstantiis.* In individuo autem *est actus humanus spectatus quoad ejus objectum, ejusque finem, et circumstantias.* Quibus praemissis: cum quaeritur, an dentur actus indifferentes in individuo, non disceptatur, an detur actus eo sensu indifferens, ut ne-

que sic aeternae vitae meritorius, neque sit aeterna poena dignus: fide enim constat, ut suo loco dicemus, dari peccata venialia, quibus nec vita, nec mors aeterna debetur; nec non actus fidei, spei, ac timoris, quibus impii, ut Trid. loquitur, *divina gratia excitati, et adjuti, diponuntur ad justitiam* (*sess.* 6. *c.* 6.); qui pariter nec sunt vitae aeternae meritorii, cum non fiant in statu gratiae sanctificantis, nec poena aeterna digni, cum ex eodem Conc. *dona Dei sint, et Spiritus Sancti impulsus, non adhuc inhabitantis, sed moventis, quo poenitens adjutus, viam sibi ad justitiam parat* (*sess.* 14. *c.* 4.). Nec etiam quaeritur, an dari possit actus humanus eo sensu indifferens, ut nec bonus, nec malus sit in ordine ad salutem: aeque enim fide constat, infideles non peccare in cunctis suis actibus, sed posse bonum aliquod in genere moris interdum operari. Hinc damnata fuit a Pio V., et Greg. XIII. prop. Baji, quae ajebat: *Omnium infidelium opera sunt peccata, et Philosophorum virtutes sunt vitia.* Ait namque Ap. ad Rom. 2. *Gentes, quae legem non habent, naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt.* Porro per legis opera intelligenda profecto sunt opera bona ex objecto fine, et circumstantiis; cum enim quis in opere ex objecto bono finem malum sibi proponit, vel actus ex aliqua circumstantia vitiatur, nedum non facit opus legis, sed eo ipso est legis praevaricator. Si ergo ab ipsis Infidelibus fieri possunt legis opera, eos non peccare in cunctis suis actibus, sed posse bonum aliquod in genere moris interdum operari, consequens est. Quod confirmatur ex facto obstetricum Aegypti, de quibus

dicitur Exodi 1., quod cum accepissent mandatum a Pharaone praefocandi in ipso ortu omnes hebraeorum masculos, nec fecissent juxta Regis praeceptum, sed eos servassent, *benefecit illis Deus, et aedificavit eis domos*: si enim earum opus laudatur in Scripturis, accepitque a Deo mercedem temporalem, ex objecto igitur, fine, et circumstantiis bonum fuisse, dicendum est, opera enim etsi prava, et inhonesta ex aliquo capite, non laudem, et praemium, sed vituperium, et poenam a Deo justo Judice merentur. Immo bonum istud ordinis naturalis, saltem facile, hominem posse etiam absque ullo gratiae auxilio exercere, constat ex prop. 27. inter Bajanas a Pio V., et Greg. XIII. proscriptas, quae ajebat: *Liberum arbitrium sine adjutorio Dei nonnisi ad peccandum valet.* Nec non ex prop. 38., 39., et 40. Quesnelli a Clem. XI. proscriptis, quae ajebant: *Peccator non est liber, nisi ad malum sine gratia Liberatoris. Voluntas, quam gratia non praevenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum; ardoris, nisi ad se praecipitandum; virium, nisi ad se vulnerandum: est capax omnis mali, et incapax ad omne bonum. Sine gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem.* Ajebat namque D. Aug., cujus auctoritate Jansenistae adeo abutuntur: *Liberum arbitrium et ad bonum, et ad malum faciendum confitendum est nos habere* (*l. 1. de corrept. et gr. c. 1.*). Cum hoc tantum discrimine, quod ad bonum morale ordinis naturalis, saltem facile, sufficit homo cum communibus, et ordinariis naturae auxiliis; ad bonum vero supernaturale gratia indiget.

23. Cum ergo quaeritur, an dentur, vel saltem

dari possint actus indifferentes in individuo, quaeritur solum, an detur, vel dari possit actus humanus, qui nec malus, et nec etiam bonus tam supernaturaliter, quam naturaliter sit. Circa quod dicimus cum Lig. *l.* 5. *de act. hum. art. ult.*, probabiliorem esse D. Th. doctrinam, quod nec detur, nec dari possit: 1.° quia actus hujusmodi esset actus otiosus, de quo proinde reddítura esset ratio in die judicii, juxta illud Christi: *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die Judicii* (*Matth.* 12.). Tunc autem solum rationem reddemus aut de operibus bonis, ut consequamur praemium, aut de malis, ut puniamur: Non ergo indifferens, sed malus: 2.° quia actus in individuo cum dicatur ille, *qui spectatur quoad ejus objectum, finem, ac circumstantias*, hinc saltem vel finis, ob quem fit, est rationi consentaneus, vel repugnans. Si primum autem, actus erit bonus; si alterum, malus: ergo.. 3.° quia cum teneamur omnes actus nostros ad Deum referre saltem habitu, id non adimpletur, nisi saltem fiant ex fine honesto, et rationabili, ut diximus l. 2. n. 41.

Caput III.

De merito, ac demerito humanorum actuum.

24. Praejactis, quae ad humanorum actuum bonitatem sunt necessaria, de fide est, bona justorum opera ex gratia elicita esse meritoria. Quod probatur ex illis Scripturae verbis: *Merces vestra copiosa est*

in Coelis (*Matth.* 5.). Et 1. ad Cor.: *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem* (3). Si autem merces redditur bonis operibus, ergo vere sunt meritoria. Item ex illis ep. 2. ad Tim.: *Reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex* (4). Et ad Heb.: *Non enim injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri* (6). Hinc ob promissionem a Deo factam, dari operibus bonis vitam aeternam, etiam ex justitia, docent Aug., Cypr., Chrysost., aliique apud Alap. in relatum locum ep. ad Tim.: licet namque opera supernaturaliter bona sint ex gratia, ideoque ipsius Dei dona; sunt simul tamen et nostra, utpote libere facta, ac quae possemus non facere; est enim de fide, quia illud definiit Trid., quod *liberum arbitrium a Deo motum, et excitatum, posset dissentire, si vellet* (*sess.* 6. *can.* 4.). Quare ad Christum, cum laudato D. Aug. dicere possumus: *Redde, quod promisisti, quia fecimus, quod jussisti* (*In. Ps.* 83.). Hinc definiit idem Trid. adversus Lutheranos, et Calvinianos: *Si quis dixerit, hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita; aut ipsum justificatum bonis operibus, quae ab eo per Dei gratiam, et Jesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augumentum gratiae, vitam aeternam, et ipsius vitae aeternae, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriae augumentum, anathema sit* (*sess.* 6. *can.* 32.). Ubi notandum illud *vere mereri.*

25. Sicut autem bonis operibus meremur, ita e con-

trario demeremur malis; ut enim dicitur ad Deum ap. Abac.: *Mundi sunt oculi tui, ut non videas malum, et respicere ad iniquitatem non poteris* (1.). Iis autem homo demeretur gratias actuales, et gratiam quoque habitualem vel absolute, cum opera sunt graviter mala, vel dispositive per gratiarum actualium subtractionem, cum tantum leviter sunt mala; ex qua subtractione sequitur, ut non raro peccatum sit poena praecedentis peccati, ut constat ex illis Deut. verbis: *Mea est ultio, ego retribuam in tempore, ut labatur pes eorum* (32.): et ex verbis Ap. ad Rom., ubi loquens de iis, qui cum Deum cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt, subdit: *Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum* (1.). Demeretur quoque bona temporalia; unde dicitur Prov. 14.: *Justitia elevat gentes, miseros facit populos peccatum.* Ac potissime demeretur gloriam vel absolute, cum opera sunt graviter mala; vel ejus immediatam consecutionem post mortem, cum tantum leviter. Ex ejus autem amissione ob opera graviter mala, sequitur *supplicium aeternum* (Matt. 25.): ex ejus vero retardatione ob opera leviter mala sequitur, ut ait Ap. ep. 1. ad Cor., quod homo *salvus erit, sic tamen, quasi per ignem* (3.); e quo, ut dicitur Matth. 5., *non exiet, donec reddat novissimum quadrantem.*

26. Porro quod ad merendum, et ad demerendum, in praesenti etiam statu naturae lapsae non sufficiat libertas a coactione, sed requiratur libertas ab omni necessitate, non solum extrinseca, sed etiam intrinseca antecedente, etiamque voluntaria, et variabili, est de fide. Et probatur 1.° ex verbis Eccl. 31.

Beatus, qui potuit transgredi, et non est transgressus, facere mala, et non fecit. Ideo stabilita sunt bona illius in Domino. Ex eo igitur laudabilitas, et ratio meriti repetenda est, quod quis non violet mandata, cum posset ea violare; ideoque quod mandata servet absque ulla necessitate antecedente: 2.° ex 3. Jansenii prop. ab Ecclesia proscripta, ut haeretica, quae ajebat: *Ad merendum, et demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione*: 3.° quia, ut actio imputetur ad meritum, ita nostra esse debet, ut illam dare possimus, velut pretium pro praemio. Ut autem ita sit nostra, necesse est, ut sit libera ab omni necessitate antecedente; necesse est namque, ut ita sit in dominio nostro, ut possimus de illa pro arbitrio disponere, et illam dare, et non dare pro arbitrio: Ut ergo actio imputetur ad meritum, necesse est, ut sit libera ab omni necessitate antecedente. Ut vero imputetur ad demeritum, nemo non videt, necesse esse, quod sit imputabilis ad culpam. Quis autem ad culpam imputabit, ut ait D. Aug. *l. de lib. arb. c. 17.* firmatque sensus communis, id, *quod homo vitare nullo modo possit, sed necessario agat?*

37. Diximus autem ab omni necessitate intrinseca antecedente, *etiam voluntaria*: ut enim Jansenistae fucum Catholicis faciant, necessitatem, qua juxta ipsos agimus, voluntariam appellant; accipientes tamen *mere voluntarium*, et *liberum*, tamquam unum, idemque: *Voluntas* (ita ipse Jansenius), *seu volitio, et libera voluntas idem sunt, sicut velle, et libere velle* (*l. 6. de gr. Chr. c. 5.*). Addidimus et *va-*

riabili: eamdem namque, docet Jansenius, libertatem nobis inesse, quae Beatis, ac damnatis inest; hoc tantum discrimine, quod in Beatis determinatio ad bonum, sicut in damnatis determinatio ad malum sit immutabilis, ac invariabilis; in nobis vero determinatio sive ad bonum a delectatione coelesti victrice, sive ad malum a delectatione carnali victrice (a quibus delectationibus omnis voluntatis vis sese flectendi, ac determinandi sive ad bonum, sive ad malum juxta ipsum Jansenium oritur in praesenti statu) mutabilis est; ac variabilis; si nimirum aut una imminuatur, aut altera augeatur delectatio: *Liberum arbitrium* (ita idem) *in omnibus sive Beatis, sive damnatis uniformem libertatis rationem obtinet; etsi difformem statum. Hominum tantum viatorum non solum coactionis expertem esse libertatem; sed etiam necessitatis immutabilis voluntariae, etc.* (*l. cit. c.* 34.).

28. Quae tandem de merito, quod Theologi appellant de condigno, et de congruo, scitu necessaria sunt, breviter pro institutionum ratione videamus. Duplex igitur distinguitur meritum; de condigno, ac de congruo. Illud est, *cui ex justitia debetur merces*: hoc, *cui merces debetur tantum ex convenientia*. Ad 1.^{m} autem requiritur 1.°, *ut opus sit omni ex parte bonum, quoad objectum nempe, finem, et circumstantias*. Hinc ii, quorum opera sunt quidem objective bona, sed illa alio, quam ad Deum, et vitam aeternam referunt, puta ad lucrum, ad auram popularem, ad favorem humanum, etc., nihil merentur: ob rationem etiam, quia sicut nemo ex communi sensu mercedem ab eo expectare potest, in cu-

jus commodum, et obsequium non laboraverit; sic et nemo ullam a Deo mercedem expectare potest, qui in suis operibus ejus gloriam, et obsequium non intenderit. 2.°, *ut sit supernaturale*, ratione tum principii, idest gratiae, ex qua fiat, est enim fidei dogma adversus Pelagianos definitum, neminem propriis liberi arbitrii viribus ullatenus mereri posse justitiam, et vitam aeternam, utpote ad quam opus naturale, quantumcumque ex objecto laudabile, ordinem, ac proportionem nullatenus habet; tum motivi, quia, ut diximus *n.* 17., omnis actus speciem, ac essentiam desumit a motivo, ob quod fit: ex quo sequitur, quod si motivum sit naturale, actus quoque erit naturalis; eritque supernaturalis, si motivum fuerit supernaturale. 3.° *Ut fiat ab homine justo*; ait enim Christus Jo. 15. *Sicut palmes non potest ferre fructum, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis.* Non manet autem Christus in nobis, nisi per gratiam sanctificantem, de qua dicitur 2. Pet. 1., quod per eam efficimur *Divinae consortes naturae*; et per charitatem, de qua dicitur 1. Jo. 2. *Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo.* De peccato autem, quod lethale sit, dicitur Is. 59. *Iniquitates vestrae diviserunt inter vos, et Deum vestrum.* Cui accedit, quod si qui non est justus manet in morte, idest in statu damnationis, quomodo in tali statu poterit suis operibus vitam aeternam mereri? 4.° *ut sit libere elicitum*, libertate scilicet, ut diximus n. 26., ab omni necessitate antecedente. Advertit caeterum Habertus, quod ad merendum aeque, ac demerendum nec libertas contrarietatis, nec ipsa libertas specifica-

tionis est absolute necessaria, sed sufficit libertas exercitii, per quam homo vere, et proprie ita dominus sit sui actus, ut possit eum non ponere. Sic motus S. Apolloniae, cum peculiari Spiritus Sancti afflatu, sponte insiliit in rogum accensum, et sibi praeparatum, ad meritum illi profuit, tametsi expers fuerit ipsius libertatis specificationis, et tantum fuerit liber libertate exercitii, quaetenus intrepida, ac fervens Virgo praeveniens carnificis ministerium, in rogum se sponte injecit, disposuitque de illo actu, quem poterat non ponere. Sicut etiam reus ad mortem damnatus, et jam stipiti alligatus, si ex desperatione praeveniat carnificem, et e scala se ipsum praecipitet, graviter peccat, aeternisque suppliciis fit dignus; quamquam similiter expers in hoc libertatis specificationis, et tantum liber libertate exercitii. 5.° *Ut sit ab homine viatore*, ait enim Christus Jo. 9. *Venit nox, quando nemo potest operari*: ubi per noctem intelligitur mors, post quam dicitur, neminem posse operari meritorie. Huc etiam referuntur et verba Eccli. 18. *Ne verearis usque ad mortem justificari*, idest *in justitia crescere*, ut explicat Trid. *Sess.* 6. c. 10. Et verba Eccl. 9. *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas.* Et ibid. *Mortui non habent ultra mercedem.* Et Ap. ad Gal. 6. *Dum tempus habemus, operemur bonum.* Ratio autem est ipsius Dei voluntas, qui constituit, ut merita omnia morte finirentur: 6.° *ut pro illo Deus mercedem promiserit*: tum quia nec etiam in civilibus merces debetur alicui, nisi pro ea

conductus fuerit: tum quia Deus pro suo absoluto dominio in creaturas jus haberet exigendi omnia bona opera, nulla mercede proposita: tum quia bona opera non in Dei, sed in nostram utilitatem cedunt. Quare D. Aug.: *Debitorem Dominus ipse se fecit, non accipiendo, sed promittendo* (*In Ps.* 83.). Hinc sequitur donum finalis perseverantiae numquam nos mereri posse de condigno; nedum enim nullibi in Scripturis Deus promisit conferre hujusmodi donum per modum mercedis in compensationem cujuscumque operis boni, quin potius vetat nos de perseverantia esse umquam securos 1. *Cor.* 10., ubi: *Qui se existimat stare, videat, ne cadat.* Et *ad Phil.* 2., ubi: *Cum metu, et tremore vestram salutem operamini.* Et *Apoc.* 3., ubi: *Tene, quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* Bene tamen ut definiit Trid. l. c., mereri semper posse augumentum gratiae, ideoque et gloriae, mandatorum observatione, cum Christus promiserit Jo. 14.: *Si diligitis me, mandata mea servate, et Ego rogabo Patrem; et alium Paraclitum dabit vobis.* Illis enim verbis, dum Spiritus Sanctus justis promittitur, augumentum ipsius gratiae promitti, intelligendum est ex D. Aug. *tr.* 74. *in Jo.*

30. Addunt quidem magni nominis Theologi cum D. Th. 1. 2. *qu.* 114. *art.* 4., quod, ut actus caeterarum virtutum praeter charitatem sint meritorii de condigno, necesse est etiam, ut per charitatem operentur, idest fiant ex charitatis imperio: *Meritum vitae aeternae* (ita S. D.) *primo pertinet ad charitatem, ad alias autem virtutes secundario, secundum quae earum actus a charitate imperantur* (*l. cit.*). Id

autem probant tum ex illis Scripturae textibus, ubi Christus vitae aeternae mercedem promittens, saepe addit has voces: *Propter me*; *in nomine meo*; ut ubi dicitur: *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam* (*Matth.* 10.). Et: *Qui reliquerit domum, vel fratres, etc. propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam aeternam possidebit* (*Matth.* 19.). Quemadmodum etiam ubi vita aeterna solis actibus a charitate elicitis, vel imperatis promitti videtur; ut ubi dicitur: *Oculus non vidit, neo auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis, qui diligunt illum* (1. *ad Cor.* 2.). Et: *Beatus Vir, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae, quam repromisit Deus diligentibus se* (*Jac.* 1.). Et sane, ut bona opera sint vitae aeternae meritoria, fieri debent ex dictis *n. ant.* in Dei obsequium. Non videtur autem, quod ita fiant, nisi fiant ex affectu placendi Deo, idest nisi imperentur a charitate.

31. Quamvis tamen actus illi, qui a charitate eliciuntur, vel imperantur, sint absque dubio maxime meritorii prae actibus aliarum quarumcumque virtutum; Divinam tamen largitatem, ac benignitatem magis commendat sententia illorum, qui existimant, conditionem hanc, licet optimam, minime tamen esse necessariam ad meritum de condigno. Quod probatur 1.° ex iis omnibus Scripturae, et SS. PP. testimoniis, quae innumera sunt, in quibus excitantur homines ad opera misericordiae, aliarumque virtutum exercenda, nulla mentione facta, quod ex motivo, vel imperio charitatis fieri debeant; asseriturque bo-

nis illis operibus reddendam esse a Deo mercedem. 2.° ex Trid. *sess.* 6. *c.* 16., ubi cum dixerit, Christum Dominum in justificatos jugiter virtutem influere, idest gratiam actualem, quae bona eorum opera antecedit, comitatur, et subsequitur, addit: *Nihil deesse ipsis justificatis, quominus bonis illis operibus, quae in Deo* (hoc est in statu gratiae sanctificantis, per quam Deo unimur, et in ipso manemus) *sunt facta, Divinae legi plene satisfecisse, et aeternam vitam promeruisse censeantur.* Et *can.* 24. *ejusdem sess.* profertur quoque anathema in eum, qui dixerit: *Justitiam acceptam non conservari, atque etiam augeri* (idest gratiae augumentum promereri) *coram Deo per bona opera.* Porro, ut sapienter disserit D. Franciscus Salesius *in Theot. l.* 3. *c.* 2., *ubi nihil excipitur, nihil distinguendum est*: Cum igitur Concilium de quibuscumque bonis operibus indistincte, et indefinite loquatur, de quibuscumque etiam justorum operibus, modo omni ex parte sint bona, habeantque alias supra expositas conditiones, quae ad meritum de condigno requiruntur, ipsius Concilii verba intelligenda sunt. 3.° quia iisdem operibus potest homo justus mereri, quibus potest Divinae legi satisfacere. Potest autem homo justus Divinae legi satisfacere per cuncta bona opera, tametsi non fiant ex motivo, vel imperio charitatis: quis enim dixerit, quod erogando pauperi eleemosynam ex motivo obedientiae, quia Deus sic fieri praecepit, non satifaciat praecepto, quo eleemosyna facienda praescribitur? Cum ergo per tale opus Divinae Legi satisfaciat, etsi illud non eliciat ex motivo, vel imperio charitatis, per

idem quoque mereri, consequens est. 4.° quia cuncta bona opera per se sunt in obsequium Summi Boni, a quo commendantur, praecipiuntur, amantur; ac propterea dum fiunt, charitatis impulsum interpretative continent.

32. Quae itaque a nobis expositae sunt n. 29., nec plures, sunt conditiones requisitae, ut opera sint de condigno meritoria. Quae adultis esse omnino necessaria ad salutem, ex eo probatur, quod non alio titulo iis salus proponitur, ac promittitur, nisi *haereditatis* (Ad Rom. 8., et ad Eph. 5.), *mercedis* (Matt. 5., et 1. ad Cor. 3.), et *coronae justitiae* (ep. 2. ad Tim. 4.). *Haereditas* autem supponit gratiam adoptionis; *merces* bona opera, *corona justitiae* victoriam: ergo. Hinc dicitur Matth. 7.: *Omnis arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur*. Et c. 25. : *Inutilem servum ejicite in tenebras exteriores*. Et Lucae 19. : *Negotiamini, dum venio*.

33. Pauciores vero conditiones, ac nonnisi quatuor requiruntur ad meritum de congruo; suntque, ut opus sit bonum, supernaturale, liberum, et ab homine viatore. Quod enim ad illud non requiratur nec status gratiae, nec Dei promissio, ex eo probatur, quod commune est apud DD., dispositiones ad justificationem in peccatore vere poenitente habere rationem meriti de congruo; quodque donum perseverantiae, et auxilia efficacia, quamvis nulla de iis extet Dei promissio, suppliciter emereri possint: *Neque enim* (ut ait D. Aug. ep. 105.) *nullum est Fidei meritum*. Hinc sequitur, primam gratiam actualem nec de con-

digno, nec de congruo nos mereri posse, cum absque illa nullum haberi possit opus supernaturale: cui accedit, quod si gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia non esset gratia. Quare Ap. 2. ad Tim. 1.: *Vocavit nos vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, et gratiam.*

LIBER V.

DE PECCATIS.

Post tractatum de actibus humanis agendum suscipimus de peccatis, utpote actus humani contra legem Dei: definitur enim peccatum *actus libere factus, vel omissus contra legem Dei*, seu *libera Divinae legis transgressio.* Porro sub nomine actus comprehenditur etiam omissio, cum haec quoque intelligatur in moralibus sub nomine actus, quia habetur, ut actio in ordine ad mores, et culpam. Cui accedit, quod qui omittit rem praeceptam, vel ad praeceptum advertit, vel non. Si 1.m, necesse est, eum tunc illis conscientiae stimulis vel obedire per aliquem voluntatis actum, quo velit praeceptum implere, vel resistere per alium voluntatis actum, quo illud implere nolit. Si vero non advertit, rursum distinguendum: vel enim ejus inadvertentia est omnino involuntaria, vel voluntaria sin minus in se, saltem in causa. Si 1.m, omnino etiam deest peccatum omissionis. Si alterum, actus etiam voluntatis, quo causa

fuit posita, est simul actus, in quo consistit peccatum omissionis. Qua super re advertatur quoque, quod causa omissionis voluntarie posita, omissio imputabitur semper ad culpam, donec positio causae fuerit retractata, quia eo usque actio semper erit voluntaria in causa. Cum quis vero per sinceram cordis detestationem causam retractaverit, ex qua omissio sequitur, non amplius haec imputatur ei ad culpam, quia non amplius ei voluntaria nec in se, nec in causa, utpote retractata. Diximus autem dumtaxat, quod peccatum est *libera Divinae legis transgressio*, quia et ille, qui legem humanam transgreditur, legem simul transgreditur Divinam, quae omnis praecepti humani legitimi observationem praecipit, ex dictis I. 1. n. 79. et 80. Quibus positis, quia peccatum praecipue distinguitur in originale, et actuale, duos proinde tractatus instituimus; in quorum primo de originali, in altero de actuali agendum suscipimus. Sit igitur.

TRACTATUS I.

DE PECCATO ORIGINALI.

CAPUT I.

De existentia peccati originalis.

1. In ejus existentiam V. Ecclesiae saeculo insurrexisse Pelagium, ejusque discipulos, inter quos praecipue Coelestium, et Julianum, ac novissime postmodum Socinianos, nemo est, qui nesciat. Contra

quos probatur 1.° ex Scripturis; ut ex Job. 14.: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine?* Quae sic vertunt 70. Interpretes: *Nemo mundus a sorde; nec infans, cujus est unius diei vita super terram.* Ex Ps. 32.: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum; et in peccatis concepit me mater mea.* Dicitur autem *in iniquitatibus*; *in peccatis*, quia, ut advertit Bellarm.; ab corruptione naturae indita a peccato originali, prodeunt, tamquam a radice, omnia peccata actualia, ideoque *in illo omnia includuntur.* Ex ep. ad Rom. 5.: *Per unum hominem peccatum in hunc Mundum intravit, et per peccatum mors; et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Et paulo infra: *Per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi.* Multos autem dicit, quos ante dixerat *omnes*, quia omnes homines revera multi sunt, ut D. Aug. disserit: *Etiam namque de Abraham, cui promissae fuerant omnes gentes illis verbis: In semine tuo benedicentur omnes gentes; dictum est alio loco: Patrem multarum gentium posui et. Est autem sanus intellectus, ideo sic locutam Scripturam, quia possunt esse utique omnia; quae non sunt multa, sicut omnia dicimus Evangelia, et tamen brevi numero, idest quaternario continentur. Et rursus possunt aliqua esse multa, non tamen omnia, sicut multos dicimus credere in Christum, nec tamen omnes credunt* (*l.* 6. *contr. Jul. c.* 14.). Accedit, vocem *multi* accipi nonnumquam in Scripturis pro *omnes*; ut Lucae c. 7.: *Remittuntur ei peccata multa*, idest *omnia.* Matth. 20.: *Venit Filius hominis dare animam suam redemptionem pro multis*, idest pro omni-

bus. Et c. 26. : *Hic est sanguis meus, qui pro multis effundetur*, idest *pro omnibus.* Consequenter autem ad relatum Ap. locum, Juliano sic ajenti : *Non peccat iste, qui nascitur ; non peccat ille, qui genuit ; non peccat Deus, qui condidit : per quas igitur rimas tot inter praesidia ingredi potest peccatum?* Respondebat S. D. : *Quid quaeris latentem rimam, cum habeas apertissimam januam? Per unum hominem, ait Apostolus. Per unius inobedientiam, ait Apostolus. Quid quaeris amplius, quid quaeris apertius* (*l.* 2. *de nupt. et conc. c.* 28.)? Huc etiam referuntur ipsius Ap. verba ad Eph. : *Et eramus natura filii irae* (2.). In quem locum ita idem Aug. : *Quomodo natura filii irae, nisi quia, peccante primo homine, vitium pro natura inolevit* (*tr.* 44. *in Jo.*)? Sicut etiam quae habet ep. 2. ad Cor. : *Aestimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt* (5.). Si enim pro omnibus mortuus est Christus ; ergo et pro parvulis. Quomodo autem, si nullum inesset peccatum? Et quae habet 1. ad Tim. 4. *Speramus in Deum vivum, qui est Salvator omnium* : ergo et parvulorum. Unde autem eos salvos fecisset, nisi essent venumdati sub peccato?

2. Confirmatur quoque veritas peccati originalis ex necessitate Baptismi, ut in Regnum Dei quis possit introire, ajente Christo : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei* (*Jo.* 3.) : quod idem esse cum vita aeterna, declarat ipse Christus et ibid. illis verbis : *Ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.* Et ubi ait : *Ibunt hi in supplicium aeternum*;

justi autem in vitam aeternam (*Matth.* 25.). *Quare autem* (ajebat D. Aug.) *patrimonium Regni Coelorum abripis innocenti? A quo Regnum Coelorum non acquiritur, profecto magno bono fraudatur. Quae est ista justitia, dic quare? Quid offendit parvulus non baptizatus nullam habens culpam nec suam, nec de parente tractam? Quid offendit, ut non intret in Regnum Coelorum* (*serm.* 294.)? Accedit, quod renasci non potest, nisi qui antea fuerit mortuus; renasci nempe per gratiam, nisi qui mortuus fuerit per peccatum: nec baptizari, seu ablui, nisi qui immundus sit. Ait autem de Baptismo Ap. ad Eph. 5. *Mundans lavacro aquae in verbo vitae.* Sunt ergo infantes peccato inquinati. Non autem actuali, cujus sunt incapaces: ergo originali. Confirmatur quoque ex coeremoniis Baptismi, exorcismo scilicet, et exsufflatione, adhibitis, receptisque ante ipsum Pelagium ab universa Ecclesia in Baptismo etiam infantium, quibus spiritus immundus ab infantibus baptizandis expellitur. Sunt igitur sub illius potestate. At non per peccatum aliquod actuale: Per originale igitur. Quid demum densa illa miseriarum nubes, utque dicitur Eccli. 40., illud *grave jugum super filios Adam a die exitus de ventre matris eorum usque in diem sepulturae*; quid, inquam, nisi communem culpam praesupponit? *Quis sub Deo justo miser* (ajebat D. Aug.) *nisi mereatur?*

3. Nec tantum filios infidelium, ut deliravit Calvinus, sed et fidelium, nemine excepto, concipi in originali peccato, docet fides; iisdemque probatur testimoniis, quibus supra probavimus originalis pec-

cati veritatem; omnia enim, utpote generalia, nullam patiuntur exceptionem, nec permittunt, quod fidelium filii excipiantur. Nec desunt textus, in quibus ipsi praecise fidelium filii comprehenduntur. Et sane erat David filius genitorum fidelium, et de electorum numero; et tamen ait: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum; et in peccatis concepit me mater mea.* Erat quoque Ap. ex parentibus fidelibus, et de numero electorum; aitque tamen: *Eramus et nos natura filii irae* (*Ad Eph.* 2.). Hinc D. Aug.: *Sive reus fidelis, sive absolutus fidelis non generat absolutos uterque, sed reos; quomodo non solum oleastri, sed etiam oleae semina, non oleas generant, sed oleastros* (*l. de pecc. or. c.* 40.). Hinc etiam Trid. *Si quis parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, etiamsi fuerint a baptizatis parentibus orti: aut dicit, nihil ex Adam trahere originalis peccati, anathema sit* (*sess.* 5. *can.* 4.). Quae autem ab Haereticis afferuntur hac super re Scripturarum testimonia; ut illud Sap., ubi de ortu suo loquens Salomon, ait: *Sortitus sum animam bonam, et veni ad corpus incoinquinatum* (8.): et illud Ap. ad Rom. 11. *Quod si delibatio sancta est, et massa; et si radix Sancta est, et rami*: et illud ejusdem 1. ad Cor. 7.; *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem, et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem; alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt* (7.), eorum errori non favent. Quoad 1. enim, ibi Salomon asserit, accepisse et indolem, et animam praeclaris dotibus instructam; ex quo factum, quod servaverit corpus nulla faeditate, ac turpitudine ma-

culatum. Quoad 2. vero, ac 3., appellantur ab Apostolo fidelium filii mundi, et sancti, propter proximam destinationem ad sanctitatem, et veram Religionem, quae eos, cum nati fuerint, in sinu suo excipit, ac Baptismate sanctificat. Quod demum parentes fideles peccatum originale actu non habeant, nihil obstat, quin illud in filios transmittant, ut patebit ex dicendis, utque ait D. Aug., *quemadmodum frumenta paleam, et praeputium circumcisus* (*l.* 3. *de pecc. merit. c.* 9.).

Caput II.

De natura peccati originalis.

4. Quaenam dicenda sit natura peccati originalis, seu in quo consistat, en illud, quod in hoc capite, quantum fas est, investigandum suscipimus. Et 1.° illud non consistere in sola poenae obnoxietate absque interiori macula, quae animae inhaereat, de fide est: cum enim dicat Ap. ad Rom., quod *per unum hominem peccatum intravit in Mundum*, *et per peccatum mors* (5), nemo non videt, eum distinguere peccatum a poena peccati, idest a morte corporis, quae omnium poenarum temporalium peccati originalis praecipua est. Quod et confirmatur ex verbis immediate sequentibus: *Et ita in omnes homines mors pertransiit*, *in quo omnes peccaverunt*; iis enim significat, culpam, quae pervasit in omnes, causam esse, cur omnes moriantur. Accedit, quod cum Trid. *sess.* 5. *can.* 5. declaraverit, per baptismum *tolli*

totum id, quod veram, et propriam peccati rationem habet, nemo non videt, quod peccatum originale veri nominis peccatum dicendum est; quale profecto non esset, si in sola poenae obnoxietate consisteret.

5. Neque illud consistere in concupiscentia, per quam intelligitur illa, quam omnes experimur, *habitualis propensio ad malum*, *seu impetus*, *et sensus ille ad turpia*, *et deordinata impellens*, de fide etiam est tenendum contra Lutheranos, et Calvinistas. Per Baptismum namque, ut definiit Trid., *tollitur in renatis totum id, quod veram, et propriam peccati rationem habet* (*l. cit.*), ait enim Ap. de iis loquens ad Rom. 8., quod *nihil damnationis* (idest damnatione dignum) *est in iis*, *qui sunt in Christo Jesu*. Per baptismum autem non tollitur concupiscentia, *quae ad agonem relicta est*, ut ibid. docet Trid., et confirmat Ap. dicens ad Rom. 7. *Video aliam legem in membris meis*, *repugnantem legi mentis meae*: Non igitur peccatum originale consistit in concupiscentia. Nec quidquam facessit, quod ibidem ab Ap. appelletur peccatum illis verbis: *Si autem quod odi malum*, *illud facio*, *jam non ego operor illud*, *sed quod habitat in me peccatum*: ita enim appellatur, ut declaravit Trid., non *quod vere*, *et proprie in renatis peccatum sit*, *sed quia ex peccato est*, *et ad peccatum inclinat* (*sess.* 6. c. 5.). Quod enim ex peccato sit, patet tum ex *Eccl.* 7., ubi: *Deus fecit hominem rectum*: tum ex *Jac.* 1., ubi: *Nemo*, *cum tentatur*, *dicat*, *quoniam a Deo tentatur*, *Deus enim intentator malorum est. Unusquisque vero tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus*: tum

denique ex 1. Jo. 2., ubi dicitur de eadem, quod *non est ex Patre*. Quod vero ad peccatum inclinet, cuinam ignotum esse potest, et a quonam dicendum non est eum Ap. l. c. *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae, et captivantem me in lege peccati, quae est in membris meis?*

6. Dicimus autem 3., neque etiam consistere in privatione gratiae sanctificantis, qua Deus in persona primi parentis totam humanam naturam ditaverat, si obediisset praecepto non comedendi de fructu vetito; ut docet Abbas Bolgeni in Dissert. ab ipso edita super infantium statu, qui sine baptismo decedunt, ita hac super re edisserens: Alia profecto est alicujus boni carentia, alia ejusdem privatio. Quod enim bonum numquam possessum, et ad quod nullum jus habeatur, alicui desit, nihil mali interest: et ejusmodi quoad hominem fuisset gratiae sanctificantis negatio in statu *naturae purae*. Non ita tamen, si desit bonum prius possessum, vel dum illud possidendi jus haberetur; quod nemo non videt, verum esse malum: et ejusmodi est quoad hominem privatio gratiae sanctificantis in praesenti statu, idest *naturae lapsae*, quippe quod in persona primi parentis, ut supra diximus, et fide constat, toti humanae naturae Deus largitus fuerat gratiae sanctificantis donum, modo ille obediisset praecepto non comedendi de fructu vetito. Malum igitur. Cumque ejusmodi privatio sit quoque contra ordinem a Deo statutum; et deordinatio igitur: ideoque verum propter utrumque, quod originale peccatum, ut definiit Trid., *veram, et propriam peccati rationem habet.*

Ita igitur Bolgenius, qui nec nobis arridet; obstat enim 1.°, quod hac in hypothesi idem prorsus in rei veritate homo foret in statu *naturae lapsae*, quod fuisset in statu *naturae purae*, cum non sit ordo ille a Deo statutus quid afficiens internum hominis enim. 2.° quod cum omne peccatum quamdam animae maculam, et immunditiem inferat, ubinam hac in hypothesi id genus macula, et immundities in nondum renatis? 3.° quod cum dici nequeat, quod id, quod superest de peccato actuali post legis transgressionem, sit solum privatio gratiae sanctificantis, quia secus in anima multiplicante peccata non multiplicaretur etiam foeditas, cum eo ipso, quo quis lethaliter peccavit, jam prorsus amisit gratiam sanctificantem; neque etiam id, quod contrahitur de peccato originali, dici potest, quod sit solum privatio gratiae sanctificantis, quin ab eo tollatur *vera, et propria ratio peccati.* Quis demum non perspiciat, privationem gratiae sanctificantis esse velut effectum peccati, ipsumque consequens?

7. Neque etiam dicimus consistere in privatione ipsius justitiae originalis, cujus triplex erat effectus, quorum primus erat, hominem Deo subjicere per gratiam, et charitatem; secundus, vires inferioris appetitus rationi submittere; tertius, totum corpus animae subdere. Etenim constituenda non est ratio formalis originalis peccati in eo, quod est quid posterius ipso peccato originali. Hujusmodi autem est privatio justitiae originalis, utpote effectus peccati, et poena a Deo inflicta propter peccatum, quod et expresse D. Th. docet, ubi ait: *Subtractio*

originalis justitiae habet rationem poenae, sicut etiam subtractio gratiae (*l. 2. qu.* 85. *art.* 5.). Quod et repetit *qu.* 87. *art.* 7.; *et* 2. 2. *qu.* 2. *in resp. ad* 4., ubi diserte statuit, carentiam, et subtractionem justitiae originalis esse poenam ipsius peccati originalis. Patet igitur propositum.

8. Dicimus itaque (eaque est doctrina D. Aug., et D. Th., ut ex dicendis patebit), peccatum originale esse concupiscentiam cum reatu, idest dominium ipsius concupiscentiae importans privationem originalis justitiae: adeo ut concupiscentia sit originalis culpae *quasi materies*; reatus vero, idest dominium ipsius concupiscentiae importans privationem originalis justitiae, sit illud, quod Theologi appellant *formale peccati*. Et quidem hanc fuisse D. Aug. doctrinam, patet 1.° ex l. 11. *de pecc. mer.* c. 4., ubi: *Concupiscentia, tamquam lex peccati, manens in membris corporis mortis hujus cum parvulis nascitur. In parvulis baptizatis a reatu solvitur, ad agonem relinquitur: parvulos non baptizatos reos innectit; et tamquam irae filios, etiamsi parvuli moriantur, ad condemnationem trahit.* Et l. de nupt. c. 23. *Haec concupiscentia, quae solo Sacramento regenerationis expiatur, profecto peccati vinculum generatione trajicit in posteros, nisi ab illo et ipsi regeneratione solvantur.* Et l. 6. contr. Jul. c. 18. non semel repetit: *Concupiscentiam manere actu, et praeterire reatu.* Eamdem vero fuisse D. Th. doctrinam, patet *ex* 1. 2. *qu.* 82. *art.* 3., ubi quaestione proposita: *Utrum originale peccatum sit concupiscentia?* Respondet: *Peccatum originale materialiter esse con-*

cupiscentiam, *formaliter vero defectum justitiae originalis*. Idque S. D. probat, dicens, quod *ita spectat ordinatio facultatum animae ad originariam justitiam, sicut illarum perturbatio ad originale peccatum*. *Primum constat*, *exploratumque est* : *ergo etc*. Addit, *ita peccatum originale consistere in deordinatione naturae*; *quomodo peccatum actuale consistit in deordinatione actus*. *Hoc in compertis est* : *ergo etc*. Haec igitur D. Aug., et D. Th. doctrina, cui demisso capite obsequi quam justum sit, nemo nescit. Immo haec fuit sententia omnium TT., qui fuerunt in Conc. Trid. : testatur enim *Pallav. in hist. hujus Conc.*, *l. 7. c. 9.*, conceptum jam fuisse Decretum, quo definiretur, peccatum originale post baptismum remanere *secundum suum materiale*, quamvis non remaneat *secundum suum formale*; ideoque fuisse suspensum, quia noluit Conc. doctrinam fundamentalem fidei tradere sub terminis scholasticis. Porro per Baptismum non tollitur concupiscentia quoad actum, sed tollitur quoad dominium, ac proinde quoad reatum, quia per illum non restituitur quidem justitia originalis, sed restituitur gratia sanctificans, per quam praecipue justitia originalis constituebatur. Hinc tollitur etiam per Baptismum *totum id* (ut Trid. ait), *quod veram*, *et propriam peccati rationem habet*, quia aversio a Deo, in qua sita est peccati macula, ejusque ratio formalis, aversio, inquam, a Deo per concupiscentiam, idest dominantem in anima habitualem propensionem ad malum, tollitur per gratiam, et charitatem, quae in corde baptizati diffunditur, et per quam baptizatus, ut fide

constat ex 2. Pet. c. 2., *efficitur Divinae consors naturae*; utque addit Ap. ad Rom. 8., *accipit spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater*. Quare post Baptismum remanet concupiscentia, sed non dominans, ideoque non remanet aversio a Deo. Quare et tollitur *totum id etc.*

CAPUT III.

De modo, quo Adam peccatum in posteros transmiserit.

9. Peccatum, quod a quovis homine in sui conceptione contra[illegible] quodque ideo originale dicitur, idem esse ac illu[illegible], quod commisit Adam, cum de fructu vetito comedit, certo colligitur ex Ap. ad Rom. 5., ubi ait: *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, etc.* Quod confirmatur ex Trid. *sess.* 5. *c.* 2. ubi: *Si quis Adae praevaricationem ipsi soli, et non ejus propagini asserit nocuisse, aut inquinatum illum per inobedientiae peccatum, mortem, et poenas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem et peccatum, quod est mors animae, anathema sit.* Per quod inobedientiae peccatum haud dubie intelligendum esse esum fructus per Dei mandatum prohibiti, ex eo patet, quod nullum aliud extet Dei praeceptum tunc Adamo impositum. Quomodo autem peccatum illud in posteros transfuderit, inquirendum, quantum fas est, suscipimus.

10. Et 1.°, illud, per traducem propagari, qua-

tenus ab Adam, ac sic etiam ab aliis parentibus in filios anima simul cum corpore traducatur, ut multi praesertim ex veteribus opinati sunt, adeo falsum est, ut D. Th. id haereticum judicaverit: effatumque illud Magistri sent. *Animae a Deo creando infunduntur, et infundendo creantur*; easque idcirco nec a Mundi initio creatas fuisse, nec per traducem, seu alias ex aliis propagari, sed quotidie a Deo, cum corporibus uniendae sunt, creari, ita nunc temporis invaluit, ut non aliquorum dumtaxat, sed fidelium omnium sensum exprimere videatur. Et sane, cum de anima primi hominis dicatur Gen. c. 1., quod creata non fuit, nisi formato prius corpore, ubi: *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terrae, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae, et factus est homo in animam viventem*: idem quoque de animabus aliorum, eas nempe nonnisi formato, et organizato corpore a Deo creari, credendum est. Non abhorruit quidem D. Aug. ab opinando, quod peccatum originale sic propagetur, idest per traducem: sed quia oppositum non erat tunc temporis tam exploratum; idque tantum proponendo, tamquam opinionem, super qua valde animo haerebat, ut patet ex *l.* 5. *contr. Jul. c.* 4., ubi: *Aut utrumque vitiatum ex homine trahitur, aut alterum in altero, tamquam in vase vitiato corrumpitur. Quid autem horum sit verum, libentius disco, quam dico, ne audeam docere, quod nescio.* Accedit, quod in relata sententia nec etiam explicatur, quomodo ex parentibus fidelibus, et baptismo ablutis traducatur in filios originale peccatum; ut consideranti patet.

11. Altera igitur sententia, ut ex relato Aug. textu colligitur, docebat olim, etiamque nunc non deest, qui juxta illam docet, ideo originale peccatum a parentibus in filios traduci, quia infunditur anima in corpus vitiatum, unde et ipsa inquinatur, ut liquor in vase vitiato corrumpitur. Cum tamen anima per creationem, ut diximus, in corpus infundatur, postquam formatum, atque organizatum fuerit, nemo non videt, in hac quoque sententia explicari debere, quomodo dum infunditur in corpore, tamquam in vitiato vase corrumpatur. Cui accedit, quod nec ex hac, nec ex ulla causa physica repetenda est traductio, et propagatio peccati originalis, siquidem nulla causa physica in veram peccati maculam, et rationem potest ex natura sua influere.

12. Fuerunt igitur, ut Lutherus, Calvinus, et postmodum Jansenius, qui dixerunt, per concupiscentiam, seu libidinem, qua homines generantur, a parentibus in filios peccatum originale traduci. Et haec tamen sententia, cui caeterum adhaerent etiam quidam ex TT. Cath. ob illa Aug. verba *l.* 1. *de nupt. et conc. c.* 23., ubi: *Haec concupiscentia, quae solo Sacramento regenerationis expiatur, profecto peccati vinculum generatione trajicit in posteros*: et D. Th. 1. 2. *qu.* 82. *a.* 4. *ad* 3., ubi: *Libido transmittit peccatum originale in prolem*: haec etiam, inquam, sententia rejicienda est, 1.° ob id, quod supra diximus, quod nulla causa physica etc.; 2.° quia causa, cur omnes constituti fuerint peccatores, non est ex Ap. *ad Rom.* 5., nisi inobedientia primi hominis, idest Adam, *in quo omnes peccaverunt*: 3.° quia, ut infert Trid. *sess.* 9. *c.* 3. ex relatis

Ap. verbis, *nisi homines ex semine Adae propagati nascerentur, non nascerentur injusti*. Non igitur ex concupiscentia, sed ex seminali generatione per Adam peccatum contrahi, dicendum est: 4.° ex tali hypothesi sequeretur, quod si forte aliquis absque libidine per Dei miraculum generaretur, etsi ex semine Adam, peccatum non contraheret. Id autem manifeste adversatur Trid. canoni supra relato: Non igitur per parentum libidinem peccatum contrahitur. Resp. autem ad relata Aug., et Th. testimonia, eorum sensum esse, quod concupiscentia, seu libido, cui in praesenti statu subjicimur, satis declarat, omnes originaliter peccatores prodire, quia nonnisi ob peccatum, quod naturam infecit, illam experimur.

13. Quae cum ita sint, dicendum denique est, ideo ab Adam, ac sic ab aliis parentibus in filios traduci peccatum originale, quia praeceptum non comedendi de fructu vetito Adae impositum fuerat, tamquam capiti totius generis humani; quo idcirco peccante, *omnes* (ut ait Ap.) *in eo peccaverunt*. Et sane, cum peccatum idem sit ac *libera legis transgressio*, quomodo esset verum, quod *in eo omnes peccaverunt*, nisi praeceptum illud, tamquam capiti totius generis humani, Adae impositum fuisset? Dicendum itaque, quod in ordine ad observationem, vel transgressionem praecepti non comedendi de fructu vetito inclusit Deus in voluntate Adae omnium posterorum ejus voluntatem, qui ab eo per generationem naturalem descensuri erant: ita ut Adam praeceptum illud observans, omnibus promeritus fuisset justitiam originalem; transgrediens, omnes ab illa excidissent. Nec

mirum: nam si Principes juste possunt includere subditorum suorum voluntates in voluntate unius in ordine ad aliquos actus, et effectus morales; ut pupillorum, quorum voluntas in tutorum voluntate jure civili inclusa est in ordine ad certos effectus, etc.; a fortiori Deus, qui in res omnes supremum, ac illimitatum habet dominium, potuit in Adae voluntate ejus quoque posterorum voluntatem includere in ordine ad quoslibet effectus, ac proinde in ordine ad observationem, vel transgressionem praecepti non comedendi de fructu vetito. Ac sicut nemo dixit iniquum inter homines, ut bonum, vel culpa unius ad alios, cum quibus conjunctus est, quodammodo pertineat relate ad honores, beneficia, privilegia, vel ad infamiam, bonorum privationem, exilium, aliosque effectus morales; ita, immo a fortiori iniquum non erit, quod Deus, supremum habens in omnes creaturas dominium, justissime omnium hominum voluntatem incluserit in voluntate primi parentis relate ad actum, a quo pendere volebat justitiae originalis vel transmissionem, vel amissionem. Qua ratione explicatur et illud Ap., quod Adam peccante, *omnes in eo peccaverunt*: et illud Trid., quod *nisi homines ex semine Adae propagati nascerentur, non nascerentur injusti.*

Caput IV.

De poenis peccato originali inflictis.

14. Id, quo 1.° Adae peccatum punitum fuit in se, ejusque posteris, privatio fuit justitiae originalis,

cujus triplicem effectum n. 7. declaravimus. In illa enim creatum fuisse primum hominem, constat et ex Eccli. 7. *Fecit Deus hominem rectum*: et ex *ep. ad Eph.* 4., ubi: *Renovamini spiritu mentis vestrae, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, et sanctitate veritatis.* Non solum tamen privatio justitiae originalis fuit illius peccati poena, verum etiam morbi, aliaeque corporis miseriae, ac mors ipsa sunt quoque effectus, ut fides docet, peccati originalis. Et quidem morbos, labores, aliasque corporis aerumnas, quibus affligimur in hac mortali vita, esse illius peccati poenas, ex eo liquet, quod a statu naturae innocentis perpetuo exulassent, ut colligitur ex l. c. Eccli., ubi post relata verba: *Deus fecit hominem rectum*, immediate subditur: *Et ipse se infinitis miscuit quaestionibus*; idest, ut plerique exponunt, *infinitis miseriis, et calamitatibus.* Hinc D. Aug. l. 5. contr. Jul. c. 5.: *Quantae autem, et quam tranquillae potestatis essemus in illa felicitate Paradisi, quis possit, ut dignum est, explicare? Ubi absit, ut credamus, aliquid fuisse, unde sensum nostrum sive intrinsecus, sive extrinsecus aut dolor pungeret, aut labor fatigaret, aut pudor confunderet, aut ardor ureret, aut algor stringeret, aut horror offenderet.* Et l. 4. c. ult.: *Quia nec injustus, nec impotens est Deus, restat, quod grave jugum super filios Adae a die exitus de ventre matris eorum usque in diem sepulturae non fuisset, nisi delicti originalis meritum praecessisset.*

15. Quod autem morti obnoxii homines non fuissent, nisi Adam peccasset, aperte colligitur et ex

verbis Adae a Deo dictis cum illi praecepit non comedere de fructu scientiae boni, et mali: *In quacumque die comederis ex eo, morte morieris* (*Gen.* 2.). Nec non ex Sap., ubi: *Deus mortem non fecit.* Et c. 2. *Deus creavit hominem inexterminabilem, et ad imaginem similitudinis suae fecit illum; invidia autem Diaboli mors introivit in orbem terrarum.* Et ex ep. ad Rom. 5. *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors*; ubi certe mors corporis designatur, mors enim animae non intravit per peccatum, sed ipsum formaliter peccatum est.

16. Id tamen, quod majori inquisitione eget, est poena, qua in altera vita puniuntur parvuli absque Baptismo decedentes ob peccatum originale, quo inquinati decedunt. Et 1.° de fide est, eos ob illud privari intuitiva Dei visione, ajente Christo Jo. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei.* 2.° probabilius videtur, idque prae aliis docet Lig. in opere, cui titulus: *Il gran mezzo della pregh.*, *parte* 2. *c.* 1., eos nec poena ignis, nec alia poena sensus torqueri. Et 1.° hanc Christum decreturum fore in die finali contra eos tantum, qui peccatorum actualium rei fuerint, patet ex verbis, quae tunc dicturus erit reprobis: *Discedite a me maledicti in ignem aeternum, esurivi enim, et non dedistis mihi manducare, etc.* (*Matth.* 25.). Porro, ut communiter TT. docent cum Bellarm., peccatum originale neque est, neque appellari potest aliquod peccatum *quoad actum*, sed tantum *quoad reatum*, *et maculam*. Ergo.

2.° quod poena respondere debeat culpae, nemo est,

qui id negare potest. Porro culpa originalis in Adae posteris non est culpa, cujus rei sint ob alicujus actus positionem: Poena igitur, quae illi respondere debet, neque etiam positiva esse debet, nec proinde poena sensus. Utque idem diversimode dicamus, cum infantes absque Baptismo decedentes numquam sensibus peccaverint, nec etiam ulla poena sensus puniri possunt, quin poena nullam cum culpa proportionem habeat: *Poena* (ita apposite D. Th.) *proportionatur culpae; et ideo peccato actuali mortali, in quo invenitur aversio ab incommutabili bono, et conversio ad bonum commutabile, debetur et poena damni respondens aversioni, et poena sensus respondens conversioni. Sed in peccato originali non est conversio, sed sola aversio, vel aliquid aversioni respondens, scilicet destitutio animae a justitia originali; et ideo peccato originali non debetur poena sensus, sed solum poena damni, scilicet carentia visionis Divinae* (*qu.* 5. *de malo art.* 2. *in corp.*). 3.° cum peccatum originale, ut D. Th. advertit *in* 2. *Dist.* 30. *qu.* 2. *art.* 2. (sit peccatum *naturae*, non *personae*, illi idcirco nequit poena assignari, quae personam afficiat, seu affligat. Hujusmodi autem esset quaevis poena sensus: Nulla ergo poena sensus assignari illi potest.

17. Quae autem ex opposito afferuntur Script. testimonia, ubi loquitur de area, in qua sunt boni malis admixti, ut grana paleis; ac dicitur: *Permundabit aream suam, et congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igne inextinguibili* (*Matth.* 3.): nec non ubi loquitur de sagena missa in mare

bonos, et malos pisces congregante (*Matth.* 17.), nihil obstant: cum enim infantes, de quibus agimus, numquam fuerint bonis admixti, eos proinde tales textus non respicere, sed loqui de Ecclesia Catholica, consequens est. Magis quidem facessere videtur illud Apoc. 20.: *Vidi mortuos magnos, et pusillos stantes in conspectu throni, et libri aperti sunt, et alius liber apertus est, qui est vitae, et qui non est inventus in libro vitae scriptus, missus est in stagnum ignis.* Ibi etiam tamen de adultis loqui, patet ex verbis intermediis: *Et judicati sunt mortui ex his, quae scripta erant in libris secundum opera ipsorum.* Ex quibus etiam sequitur, per *pusillos* intelligendos non esse pusillos aetate, aut statura, sed dignitate, et gradu exiguos. Maxime tamen objicitur omnium, et singulorum judicium futurum, indistincte enim dicitur ad heb. 9. *Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium*; quibus similia alibi etiam leguntur. Judicium autem refertur ad sententiam; nec infantes, qui sine Baptismo decedunt, habituri sunt electorum sententiam: Reproborum igitur sententiam in ignem: Sed resp. 1.° dist. maj., quod omnes, et singuli judicandi sunt, qui adulti fuerint, non vero infantes, qui absque Baptismo decesserint, 1.° quia pro iis locum non habet quod legitur Is. 5.: *Nunc ergo judicate inter me, et vineam meam. Quid debui ultra facere vineae meae, et non feci ei?* 2.° quia nemini eorum dici poterit: *Redde rationem* (Luc. 16.). 3.° quia judicii materiam non fore nisi opera, testatur Jo. *l. cit. Apoc.*; nec quidquam ii umquam operati fuere. Hinc quoque Ap. 2. *ad Cor.* 5., ait,

omnes judicandos esse post mortem super iis, quae *gesserunt*: super quibus etiam omnes judicandos esse in fine saeculorum, habetur ap. *Matth.* 25. Recte autem Scripturas interpretamur, cum eas aliis Scripturarum textibus interpretamur; nec infantes, de quibus hic sermo, quidquam umquam gessere: Neque igitur judicandi sunt. Resp. 2.° neg. cons.: quamvis enim judicandi sint, habituros tamen non fore sententiam aliorum reproborum in ignem, satis probant et relata Christi verba ex c. 25. Matth., ex quibus colligitur, eam tantum optimum Judicem pronuntiaturum fore pro peccatis actualibus: et D. Th. auctoritas, cui praeiverant, ut mox videbimus, Nazianzenus quoque, et Nyssenus, qui ab sententia hujusmodi infantes, de quibus agimus, excipiunt; et alia, quibus supra abunde idem confirmavimus.

18. Quod vero D. Aug. aliquando oppositum docuerit, id 1.° docuit haerens animo, immo et postea retractavit, ut patet ex ep. 28. ad D. Hieron., ubi: *Cum ad poenas ventum est parvulorum, magnis, mihi crede, coarctor angustiis, nec quid respondeam, prorsus invenio.* Et l. 5. cont. Jul. c. 8.: *Quis dubitet, parvulos non baptizatos in damnatione omnium levissima futuros? Quae qualis, et quanta erit, quamvis definire non possim, non tamen audeo dicere, quod eis, ut nulli essent, quam ut ibi essent, potius expediret.* Et l. 3. de lib. arb. c. 23.: *Sicut vita esse potuit media inter recte factum, atque peccatum, ita etiam potest dari sententia Judicis media inter praemium, atque supplicium.* 2.° ei opponimus et D. Greg. Nazianz., qui or. 40. in S. Lavacr. loquens de infanti-

bus: *Existimo* (inquit), *futurum, ut nec coelesti gloria, nec suppliciis a justo Judice afficiantur, utpote qui licet baptismo consignati non fuerint, improbitate tamen carent.* Et D. Greg. Nyssenum, qui in or. de infantibus, qui immatura morte abripiuntur, ita ait: *Immatura mors infantium demonstrat, neque in doloribus, et moestitia futuros esse eos, qui sic vivere desierunt.* Et D. Bernardum *serm.* 3. *de Resurrect.* ubi: *Tolle propriam voluntatem, et infernus non erit. Nihil ardebit in inferno praeter propriam voluntatem.*

19. Poena igitur damni, idest visionis Dei carentia, sola est, qua puniuntur parvuli absque baptismo decedentes: utque addunt D. Bonav. 2. *sent. Dist.* 33. *art.* 3. *qu.* 2., et D. Th. *qu.* 5. *de poena pecc. orig. art.* 3., cumque iis Lig. *l. cit.*, nullam ex ejusmodi carentia dolorem interiorem percipiunt; cum enim, ut D. Th. disserit, ignorent, fuisse creatos, ut beatitudinem hujusmodi adipiscerentur, de illius proinde amissione dolorem nequeunt concipere. Et sane quis doleat, se non habere, quod numquam adipisci potuit; plebejus ex. gr., quod Regnum aliquod non obtinuerit? Infantes autem absque baptismo decedentes vel sciunt, non potuisse consequi intuitivam Dei visionem; et in hoc casu dolorem ex ejus privatione non sentient: vel id ignorant, ut potius videtur dicendum, quod enim conditi fuerimus, ut aliquando Deo fruamur facie ad faciem, id non scimus naturaliter, sed ex fide; et in hoc casu cum non cognoscant, ad id ordinatos fuisse, nec etiam dolorem sentient, quod non fuerint id consecuti; sed, ut concludit D. Th. l. c. *possidebunt absque dolore quod*

ex natura habent. Et *in suppl.* 3. *p. art.* 2. eadem super re insistens, ita disserit: Nemo affligitur ob defectum alicujus rei, ad quam proportionem, et habitudinem non habeat, sed tantum ob defectum rei, ad quam habeat aliquam proportionem, seu habitudinem. Et sane quis ex eo afflictionem capiat, quod avium instar volare nequeat, vel quod non sit Rex, aut Imperator, cum non sit ipsi debitum? Porro infantes absque Baptismo decedentes nullam umquam proportionem, ac habitudinem habuerunt ad visionem Dei intuitivam, tum quia iis ex natura erat indebita, tum quia numquam elicere actus potuerunt, quibus ad illam ordinarentur. Ex ejus igitur defectu nullam afflictionem capient. Nec obstat, quod in Conc. Gen. Lugd. II., et postmodum in Flor. definitum fuit: *Illorum animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas.* Quod enim per *Infernum* intelligi possit juxta Ecclesiae locutionem locus etiam a Coelis distinctus, ex eo patet, quod dicatur etiam, quod Christus *ad inferos descendit*, et quod *ab inferis resurrexit.* Quod vero infantes absque Baptismo decedentes aliqua etiam *poena* puniantur, plene, et ad rigorem verificatur profitendo, quod intuitiva Dei visione, quae omnibus bonis praestat, estque omnium bonorum maximum, in poenam originalis peccati carent, ejusque privatione puniuntur. Dicuntur quoque alicubi infantes absque baptismo decedentes participes Diaboli, quia commune cum illis habent privationem visionis beatificae. Sicut etiam, quod in finali Judicio simul cum caeteris re-

probis a sinistris Christi erunt, quatenus simul cum iisdem privationem illam patientur.

20. Atque haec de iis dicta sint satis: divinari enim nolumus, an saltem potiantur beatitudine quadam naturali, cum non solum hac super re Scripturae sileant, verum etiam dicendo, quod per peccatum originale sumus *natura filii irae* (*Ad Eph.* 2.), quodque Adae peccatum fuit *in omnes homines in condemnationem* (*Ad Rom.* 5.), omnem id genus verbis adimere videntur hujusmodi parvulis beatitudinem; immo ex iis infert Bellarm. t. 4. l. 6. c. 2., *fide catholica tenendum esse, parvulos sine baptismo decedentes non sola Coelesti, sed etiam naturali beatitudine perpetuo carituros.* Quod si ap. D. Th. *in* 2. *dist.* 33. *q.* 2. *n.* 2. legitur: *Quamvis pueri non baptizati sint separati a Deo quantum ad illam conjunctionem, quae est per gloriam, non tamen ab eo sunt penitus separati; immo ipsi conjunguntur per participationem naturalium bonorum, et ita de ipso gaudere poterunt naturali cognitione, et dilectione*: advertatur simul, quod praefata S. D. verba nihil commune habent cum beatitudine caeteroqui naturali, pro qua intelligendus esset *status omnium bonorum* (caeteroqui naturalium) *aggregatione perfectus.* Aliquod igitur gaudium potest iis attribui, quod Lig. *l. cit.* non reprobat; nequaquam tamen cujusvis generis beatitudo.

DISSERTATIO.

Super exemptione B. V. M. ab originali noxa.

21. Summa cum animi voluptate excelsum hoc, ac prorsus singulare Dei Genitricis privilegium ob ferventem dilectionem, ac devotionem, quam omnes illi debemus, quae juxta Ecclesiae praeconium est *vita*, *dulcedo*, *et spes nostra*, demonstrandum in hoc capite aggredimur. Qua super re parum solliciti sumus, an saltem peccati originalis debitum contraxerit, idest illud contrahere debuisset: ac solum dicimus, quod primo aspectu videtur ad id affirmative respondendum, cum et ipsa ex Adae semine per naturalem generationem prodierit: quin tamen oppositum sua careat probabilitate. Et sane, cum, ut diximus n. 13., contrahatur peccatum originale, quia in voluntate primi hominis inclusit Deus omnium hominum voluntates relate ad observationem, vel transgressionem praecepti non comedendi de fructu vetito; an non recte censetur, ab illa Dei constitutione exceptam singulari privilegio fuisse, quae ab aeterno praedestinata fuerat, ut esset Mater Unigeniti Filii ejus? Cujus meritorum intuitu ab illa Dei constitutione excepta (quotquot enim gratiae fuerunt electis collatae, omnes collatae iis fuere intuitu meritorum Christi), utique etiam, et ad rigorem verificatur, quod a Divino ejus Filio redempta fuerit. Hanc proinde sententiam, utpote ipsi Dei Genitrici gloriosiorem, amplectitur prae aliis Lig. in opere italice edito, cui titulus: *Glorie*

di Maria 2. *p. Disc. sulla Conc.*, cumque illo et nos: quia enim, ut de ea praedicat ipsa Ecclesia, est *omni laude dignissima*, recte inde infertur cum Basilio Seleuc. *ser. de Ann.*, quod *qui de ea omnia illustria, et gloriosa dixerit, numquam a veritatis scopo aberrabit.*

22. Pro certo tamen tenendum est, immunem prorsus fuisse ab ipso peccato originali: estque id ita certum, ut oppositum, quemadmodum idem Lig. scribit, non sit amplius probabile (l. 7. n. 262.); utque docet Gabriel Antoine *tr. de pecc. art.* 2. §. 2., est proxime ab Ecclesia definibile: quod et docet Duvallius *l.* 2. *qu. ult. de pecc.*, ac Summus Pont. Ben. XIV. *l.* 1. *de canoniz. SS. c.* 42., dicens, nonnisi Ecclesiae definitionem deesse, ut fideles teneantur credere fide Divina Conceptionem Virginis immaculatam. Et sane, quod ita sit,

23. Probatur 1. ex Script. testimoniis, quorum praecipuum est illud Gen. 3.: *Et dixit Dominus Deus ad mulierem: Quare hoc fecisti? Quae respondit: Serpens decepit me. Et ait Dominus Deus ad serpentem: Inimicitias ponam inter te, et mulierem, et semen tuum, et semen illius. Ipsa conteret caput tuum*: quo in loco non de Heva, sed de Maria sermonem fieri, ex eo patet, ut D. Cypr. ibid. animadvertit, quod non in tempore praesenti, sed futuro loquatur: *Non dixit pono, ne ad Hevam pertinere videretur, sed ponam, idest, suscitabo mulierem.* Ex iis autem sic argumentamur: Deus igitur serpenti Diabolo in ejus confusionem denuntiavit, eum, sicut per mulierem sibi virum, et orbem subjecerat, ita per mulierem supe-

randum, ac conterendum fore. Comminatio autem careret vi, et antithesis careret elegantia, nisi peccati originalis virus prius in foemina, non quidem ordine meriti, sed executionis defecisset: Hujus igitur virus in Maria cessit, per quod et semper inimicam Diabolo fuisse, et ejus contrivisse caput, impletum est.

23. Confirmatur autem argumentum ex praefatis verbis ductum 1.° ex illis Cant. verbis 8.: *Sub arbore malo suscitavi te. Ibi corrupta est mater tua; ibi violata est genitrix tua.* Quibus insinuatur, statim ex momento, quo Heva facta est mater morientium per originalem culpam, praeordinatam, et a potestate Daemonis exemptam fuisse Mariam, ac constitutam in Matrem viventium. Non enim *sub arbore malo*, idest pomi noxialis, diceretur vere suscitata, nisi ex tunc a generali contagione fuisset per Decretum Divinum praeservata. Ac 2.° etiam D. Aug. auctoritate, qui *l. 12. de Gen. ad lit.* in praefata verba haec habet: *Cum subjectio originalis peccati caput sit Diaboli, tale caput Maria contrivit, quia nulla peccati subjectio ingressum habuit in animam Virginis*; ita nempe S. D. disserens: Caput nostrum conterit Diabolus, quia in ipsius vitae nostrae capite, seu exordio, nos sibi subjicit per peccatum originale. Hinc cum dicatur de B. Virgine, quod ipsa Diaboli caput contrivisset, ab originali peccato praeservatam fuisse, consequens est.

24. E Canticis tamen haec alia depromuntur pro immaculata Dei Genitricis Conceptione: *Tota pulchra es, Amica mea, et macula non est in Te* (4): *Aperi mihi, soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea* (5). *Una est columba mea, perfecta mea*

(6). *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia Principis* (7)! *Quam pulchra es, et quam decora, charissima* (*ibid.*) ! *Ecce tu pulchra es, amica mea; ecce tu pulchra es* (1). *Quam pulchra es, amica mea, quam pulchra es* (4) ! Ex quibus sic argumentamur: Quod praefata verba dicantur in sensu literali de B. Virgine, jure, ac merito affirmatur, propterea quod et ab innumeris Theologis, et ab ipsa Ecclesia ipsi applicantur; ac maxime, quia dogma, quod B. V. numquam vel venialiter peccaverit, firmiter quidem a Trid. *sess.* 6. *can.* 23. asseritur ex Traditione, *quemadmodum* (inquiens) *de B. V. tenet Ecclesia*, sed et graviter probatur prae aliis a D. Th. 3. *p. q.* 27. *a.* 4. ex relatis Canticorum verbis: *Tota pulchra es, etc.* Locutiones autem tam indefinitae, et cum expressione summae admirationis Divinae, et cum contestatione singularis puritatis, in alia anima humana non reperibilis, veritatem non haberent, si B. Virgo non fuisset prorsus immunis ab omni macula peccati tam actualis, quam originalis, quippe quod omnem prorsus maculam ab ea removent: Eam igitur, et ab actuali, et ab originali macula immunem prorsus fuisse, fatendum est.

25. Favet denique ex Scripturis et illud Ps. 45. *Sanctificavit Tabernaculum suum Altissimus*; in quod ita D. Th.: *Videtur hic significari sanctificatio Matris Dei, quae Tabernaculum Dei dicitur*; eique praeiverant et D. Athan., et D. Greg. Thaumat., et D. Jo. Damasc. Subditur autem, quod fuit sanctificata, eam mane diluculo adjuvando, idest sub ipso ejus vitae exordio, illis verbis: *Adjuvabit eam Deus mane diluculo*: Ex tunc igitur Sancta. Favet etiam illud Prov.

8. ***Sapientia aedificavit sibi domum***; in quod ita D. Bern. ser. 9. in cant. *Haec itaque Sapientia, quae Dei erat, et Deus erat, de sinu Patris ad nos veniens, aedificavit sibi domum, ipsam scilicet matrem suam Virginem Mariam.* Stultus autem est, ut dicitur c. 7. Matth., *qui aedificat domum suam super arenam*; Sapiens vero, qui eam aedificat *super petram*: Illam ergo Deus super fundamento stabili originalis justitiae aedificavit. Favent etiam Gabrielis verba, dum illam salutando, ait: *Ave gratia plena.* Quomodo autem gratia plena, si illi originalis gratia defuisset? Properemus tamen ad PP. auctoritatem.

26. Prob. igitur 2.° PP. testimoniis. Ex actis scilicet Presbyterorum Achajae de Passione S. Andreae, ubi haec leguntur ab illo Apostolo prolata: *Sicut primus Adam formatus est ex terra, antequam esset maledicta, ita secundus formatus est ex terra virginea numquam maledicta.* Ex D. Cypr., qui *in or. de Chr. Nat.* quaerens, cur B. Virgo absque dolore peperisset, cum in poenam originalis peccati cuivis ex mulieribus dictum fuerit: *In dolore paries*; ita scribit: *Nihil in Maria repetiit ultio, nec praecedens delectatio expetiit poenarum usuram. Nec sustinebat justitia, ut illud vas electionis communibus lacesseretur injuriis, quoniam plurimum a caeteris differens, natura communicabat, non culpa.* Ex D. Hier. in Ps. 77. ubi: *Beata Virgo pulchre dicitur nubes diei, quia numquam fuit in tenebris, sed semper in luce.* Potissime autem ex D. Aug. *l. de nat. et gr. c.* 13., ubi cum docuerit, ex peccato originali factum esse, ut nemo vel sanctissimus possit sine peccato vitam de-

gere, ab hac communi sorte eximit B. V. his verbis: *Excepta S. V. Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo quaestionem. Inde enim scimus, quod ei plus gratiae collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quae concipere, ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum.* Disertissima sunt S. D. verba, nec declaratione indigua: quibus possemus addere aliorum quoque PP. testimonia, qui eam absolute *immaculatam* praedicant: ut Origenis, a quo *hom.* 1. *in c.* 1. *Matth.* appellatur *digna digni, immaculata immaculati*: D. Ephremi, a quo *serm. de laud. V.* appellatur *immaculata, intemerata, incorrupta, atque ab omni sorde, et labe peccati alienissima*; D. Epiphanii, *ser. de laud. Mar.*, a quo appellatur *lilium immaculatum, ac natura formosior ipsis Cherubin, Seraphin, et omni exercitu Angelorum.* Quia tamen eorum testimonia intelligi possent de ejus immunitate ab omni noxa actuali, sufficiant, quae attulimus, atque ad Trid. progrediamur.

27. Prob. igitur 3.° ex Trid. *sess.* 5. *can.* 5. ubi: *Declarat haec ipsa S. Synodus, non esse suae intentionis comprehendere in hoc Decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam, et immaculatam Virginem Mariam Dei Genitricem*; ex quibus sic argumentamur: Si Trid. B. Virginem non comprehendit in Decreto suo doctrinali de peccato originali, certe hoc ipso eam tacite excepit, aut saltem merito excipiendam censuit. In illo autem Decreto expresse ait, *non esse suae intentionis* eam *comprehendere.* Hoc ipso igitur illam excepit, aut saltem merito excipiendam censuit.

28. Prob. 4.° ex cultu Ecclesiae. Et sane, quod ex Ecclesiae praecepto celebretur Festum Conceptionis B. Virginis, non jam, ut aliquando a quibusdam putabatur, quia tunc primum habuimus pignus certae Redemptionis, vel quia non sine miraculo a Matre sterili concepta fuit, vel quia post primum instans fuit in utero Matris sanctificata, sed quia juxta piam sententiam, praeveniente Spiritus Sancti gratia, praeservata fuit a peccato originali, fas non est amplius in dubium vocare, posteaquam Summus Pontifex Alexand. VII. id declaravit Constit., quae incipit *Sollicitudo.* Cui accedit, quod si Ecclesia diceret *Sanctam Conceptionem* B. V. (*In Offic. Resp.* 8.), quia fuisset post primum instans sanctificata, 1.° impropriissime Conceptionem acciperet, cum sub nomine Conceptionis primum vitae instans intelligatur, nec nisi hoc intelligi possit; 2.° etiam Baptista, et Jeremias fuissent sancte concepti. Nequit autem Ecclesia cultum ullius rei falsae praecipere; ac ejusmodi esset cultus, quem Conceptioni B. V. tribuit juxta piam sententiam, si revera B. V. non fuisset ab originali labe praeservata, et ex tunc omnium gratiarum donis cumulata: Fuit igitur praeservata ab originali labe, omniumque gratiarum donis ex tunc cumulata processit.

29. Neque hic finis, prob. enim 5.° ex ultro peractis ab Ecclesia ad piam sententiam promovendam: etsi enim Xistus IV. Const., quae incipit *Grave nimis*, excommunicatione ipso facto inusserit damnantes peccati lethalis, ac notae haereseos tam eos, qui dixissent, conceptam fuisse absque originali peccato,

quam eos, qui dixissent, conceptam cum eo fuisse: dicentes tamen, etsi in privatis colloquiis, quod concepta fuerit cum originali peccato inussit Greg. XV. Const., quae incipit *Sanctissimus*, suspensione ipso facto a Divinis; utque probabilius docet B. Lig., poena etiam inhabilitatis ad officia (l. 7. n. 247.): dum, ut subdit n. sequ. sententia immac. B. V. Conceptionem affirmans libere proponitur, defenditur, et probatur voce, ac scripto, in scholis, ac sacris suggestis, approbantibus totius Orbis Epicopis Catholicis, fidelibusque universis; nec non propositis indulgentiis in gratiam eorum, qui Festum immaculatae B. Virginis Conceptionis devote celebrent, immo et largita centum annorum indulgentia ab eodem Greg. XV. decreto edito die 13. Aprilis 1621. toties quoties pie pronuntietur: *Benedicta sit purissima, et immaculata Conceptio Beatissimae Virginis Mariae.* Potest ne autem fieri, ut Ecclesia, quae est *columna, et firmamentum veritatis*, ita errorem approbet, et ad illum amplectendum poenis simul; praemiisque propositis invitet Fideles?

30. Prob. etiam 6.° ex communi fidelium sensu, de quo ita hac super re Dionysius Petav. *Theol. dogm. l. 14. c. 2.*, ubi: *Movet me, ut eam in partem sim propensior, communis maxime sensus fidelium omnium, qui hoc intimis mentibus, alteque defixum habent, et quibus possunt indiciis, officiisque testantur, nihil illa Virgine castius, purius, innocentius, alienius denique ab omni sorde, ac labe peccati procreatum a Deo fuisse: tum vero nihil cum inferis, et horum rectore Diabolo, adeoque cum qualicumque*

Dei offensa, et damnatione commune unquam habuisse. Admonet autem nos egregie Paulinus Nolanus Episcopus gravis imprimis auctor, ut de omnium fidelium ore pendeamus, quia in omnem fidelem Spiritus Dei spirat. Cum nempe totum Ecclesiae corpus a Spiritu Sancto regatur, consensus proinde super re aliqua omnium fidelium haberi debet quodammodo, ut quaedam revelationis species: *Nemini enim dubium est* (ajebat Joannes Fischerus Roffensis in Anglia quondam Episcopus) *Ecclesiam Spiritu Sancto regi, nisi quis forte Christi non crediderit Evangelio. Nam in eo promissus est Spiritus ipse Sanctus, Spiritus, inquam, veritatis, ut in Ecclesia maneat in perpetuum, et ut eam doceat, et ducat in omnem veritatem, annuntietque, quod Christi est, et quod audierit a Christo* (*l. contr. Luth. c.* 3.). Quibus similia habet quoque D. Aug. *l.* 1. *de Praed. SS. c.* 1., *et l.* 2. *de Gen. contr. Manichaeos c.* 2.; hoc sensu etiam accipiens illud Ap. ad Phil. 3.: *Et si quid aliter sapitis, hoc quoque vobis Deus revelabit.* Hinc concludit Petavius: *Ad hunc itaque modum revelasse credendus est Deus Christianis integrum illum immaculatae Virginis conceptum; tametsi nondum plena, et quae in Catholicum dogma transierit, facta sit illius fides.*

31. Prob. demum asserti veritas multiplici ratione. Et 1.° est de fide catholica post Trid. *sess.* 6. *can.* 23., quod B. Virgo numquam vel venialiter peccavit; ejusque oppositum est formaliter haereticum, ut prae aliis docet Tournelius *de cens. theol. §. de prop. erronea object.* 5., ait namque *l. c.* Trid. ***Si quis hominem semel justificatum dixerit posse in tota vita***

peccata omnia etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de B. V. Maria tenet Ecclesia, anathema sit. Cujus rationem reddens D. Th., 3. *p. qu.* 27. *a.* 4., quia, inquit, *non fuisset idonea Mater Dei, si peccasset aliquando, ignominia enim Matris in Filium redundasset.* Longe autem vilior, ac deterior redditur anima a solo originali, quam a cunctis simul peccatis venialibus, ut notius est, quam ut probatione egeat; ideoque B. Virgo longe minus fuisset idonea Mater Dei, si illud contraxisset: Quod ergo illud non contraxerit, sed ab illo praeservata fuerit, consequens est.

32. Ex eo autem, quod fuit idonea Mater Dei, aliud quoque momentum sequitur ad assertum magis, magisque confirmandum; nisi enim ab originali noxa praeservata fuisset, etsi Filius deinde omni gratiarum, ac privilegiorum genere illam cumulasset, semper nihilominus, quia origine peccatrix, eum non decuisset; quem namque latet, quod lex ait: *Infamia semel imposita perpetuo durat* (*De iis, qui infam. notant.*)? Et de spurio dicitur: *Spurius legitimatus, vel aliqua ratione nobilitatus similis est aegro curato a vulnere, cujus semper remanet aliqua cicatrix.* De servis quoque, qui libertatem adepti fuerint, ajebat Imp. Marcianus: *In libertis semper manet nota apud ingenuos.* Si eum porro non decuisset, neque etiam fuisset idonea, ut ejus Mater esset; quodque idonea ad id fuerit, Ecclesia testatur et ubi eam appellat *dignum Filii Dei habitaculum*; et ubi ait, quod *ejus viscera meruerunt portare Dominum Christum*: Fuisse igitur ab originali noxa praeservatam, magis elucet,

33. Demum nisi Filius ab hac illam praeservasset, fuisset id vel quia non potuisset, vel quia noluisset. Si 1. tamen, ubinam ejus omnipotentia? Si alterum, ubinam amor, et honor Matri debitus; ac maxime, quia in instanti Conceptionis debuisset eam, tamquam peccato infectam et odisse sub hoc respectu, et spernere? Quis haec dixerit, immo cogitaverit de Filio, quo nemo dignior; de Matre, qua nulla amabilior? Apposite idcirco S. Methodius M. or. de Pur. *Qui dixit, honora Patrem tuum, et Matrem tuam, ut hac in parte aliis excelleret, omnem Matri gratiam, et honorem impendit. Omnem gratiam*: Et originalem igitur.

34. Quae cum ita sint, nec hilum facessere debent generales illae propositiones, quae leguntur in Scripturis, quod *omnes in Adam peccaverunt.* Quod *si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt,* etc. Quod enim ab his generalibus enunciationibus excipienda sit Deipara, ex una parte non asseritur gratis, sed omni rationum pondere, ut patet ex his, quae hactenus disputavimus: ex altera vero earum veritas ad literam servatur, excipiendo ab iis solam Virginem, quia et veritas constat propositionum illarum aeque generalium quoad peccata actualia: *Omnes peccasse, et egere gloria Dei* (*Ad Rom.* 4.). *Non est homo, qui non peccet* (3. *Reg.* 47.), *etc.*, etsi ab iis excipienda juxta fidem sit eadem Deipara. Accedit, ut praeclare advertit Bossuetius *serm. t.* 1. *p.* 120., quod si vita tam praecelsae creaturae, ut ejusmodi esset, quemadmodum decebat eam, cui Deus Pater unicum Filium suum dare disposuerat ad habendum illum cum

ipso communem, ut ejusmodi, inquam, esset, tota singularis fuit, ac mirabilis ob dispensationem a tot legibus, quibus caeteri subjiciuntur; a lege scilicet incompossibilitatis Virginitatis cum Maternitate, atque impossibilitatis partus absque Virginitatis laesione; a lege pariendi in doloribus, nec non corruptionis corporis in sepulchro, ejusque separationis ab anima ad universalem usque resurrectionem carnis; a lege membrorum contra legem mentis, etc.: quis dixerit, quod ejus tantum conceptio fuerit perinde ac conceptio caeterorum, quodque tantum de ea gloriari nequeat Prov. verbis ipsi ab Ecclesia applicatis: *Dominus possedit me in initio viarum suarum*?

35. Quod vero et D. Bern., et D. Th. oppositum tenuerint, ut quoad 1. constat *ex ejus ep. ad Canonicos Lugdunenses*; quoad 2. vero *ex* 3. *p. qu.* 27. *art.* 2., quod et confirmat *in* 3. *sent. dist.* 3. *art.* 1., *in comp. Theol. opusc.* 3. *c.* 223., et *in quodlibeto* 6. *qu.* 4. *art.* 1.; propterea quod eorum tempore nihil hac super re Apostolica Sedes determinaverat, nec Festivitas Conceptionis B. V. per totum Orbem celebrabatur, nihil quoque debet facessere; uterque enim, si nunc viveret, indubitanter, et toto animi affectu immaculatam Dei Genitricis Conceptionem venerarentur, et profiterentur hoc ipso solum, quod viderent, a Sede Apostolica institutum fuisse sub praecepto Festum Immaculatae B. V. Conceptionis, et ab omnibus Fidelibus, et Episcopis celebrari, hancque Conceptionem a Summis Pontificibus coli, et commendari, atque ab omnibus Concionatoribus publice praedicari, consentientibus, et ap-

probantibus Ecclesiae Praelatis; ajebat namque D. Bern. in fine ipsius epistolae ad Canonicos Lugdunenses: *Romanae praesertim Ecclesiae auctoritati, atque examini totum hoc, sicut et caetera, quae ejusmodi sunt, universa reservo; ipsius, si quid aliter sapio, paratus judicio emendare.* D. Th. vero, ut probaret, Nativitatem B. V. fuisse sanctam, hoc utebatur argumento 3. p. qu. 27. a. 1. *Ecclesia celebrat Nativitatem B. Virginis. Non autem celebratur Festum in Ecclesia, nisi pro aliquo Sancto: Ergo B. Virgo in ipsa sua Nativitate fuit sancta.* Quis proinde non videat, quod si nunc temporis viveret, aeque etiam de Conceptione B. Virginis dissereret, ac diceret: *Ecclesia celebrat Conceptionem B. Virginis. Non autem celebratur Festum in Ecclesia, nisi pro aliquo Sancto: Ergo B. Virgo in ipsa sua Conceptione fuit Sancta?*

TRACTATUS II.

DE PECCATO ACTUALI.

CAPUT I.

De praecipuis erroribus, contrariisque dogmatibus quoad peccatum actuale.

36. Et 1.° Deum esse primariam peccati causam, blasphemarunt ex antiquis haereticis Simoniani, Cerdoniani, Marcionitae, Manichaei, Priscillianistae, et Albigenses: ex recentioribus vero hoc idem blasphe-

mavit Calvinus in duplici opusc., in instructione scilicet adversus Libertinos, et in epist. ad Rothomagenses. Contra quos tamen fides catholica docet, quod Deus nec est, nec esse potest peccati auctor; qua super re luculentiora esse nequeunt Scripturarum testimonia; ut ubi dicitur: *Non Deus volens iniquitatem tu es* (*Ps.* 5.). *Odio est Deo impius, et impietas ejus* (*Sap.* 14.); aliaque his similia.

37. Quae autem e Scripturis afferuntur ab Haereticis testimonia, vel loquuntur de malo poenae; ut illud Amos 3. *Si fuerit malum in civitate, quod non fecerit Dominus*: vel tantum de voluntate permissiva, quatenus cum impedire, ac tollere omnia peccata posset, illa permittit, ut de malis bona faciat: *Melius namque judicavit* (*ait D. Aug. in Ench. c.* 27.) *de malis bona facere, quam nulla mala esse permittere*: ad quod referuntur et quae ait Joseph fratribus suis in Aegypto, postquam iis se patefecerat: *Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum* (*Gen.* 45.): et quae leguntur in Actis 4., quod nempe qui Christum Cruci affixere, id unum fecerunt, quod *manus Dei, et consilium ejus decreverunt fieri*: vel demum, quia concurrit ad materiale peccati, quatenus nempe, ut explicat Sigismundus Storchenau *Theol. nat.* §. 78., eo momento, quo homo peccat, ejus nedum existentiam, sed et vim conservat. Ex eo autem, quod peccatum permittit, atque ad illud, ut dictum est, concurrit, non sequitur, quod dicendus sit peccati Auctor. Non ob 1., qui enim non impedit malum, quod impedire non tenetur, non censetur illius mali causa; idque co

magis, si habeat jus illud non impediendi. Sic mulier, quae elegantem formam a natura accepit, nec tamen a virorum aspectibus se subtrahit, non censetur causa malignorum cogitatuum, quibus corruptus adolescens ex ejus aspectu consentit, quia nempe malignos illos cogitatus impedire non tenetur, atque ad illos impediendos deberet jure suo non uti. Ita etiam Sacramenta petens ab indigno Parocho ex rationabili causa, nec etiam causa censetur illius sacrilegiorum, quia pariter et haec impedire non tenetur, et jus habet Sacramenta ab illo petendi. Quis autem dixerit, teneri Deum impedire hominum peccata? Immo potius quis non videat, jus ab eo haberi explorandi hominum fidelitatem, exigendique eorum subjectionem per praeceptorum impositionem? Ex eo igitur, quod non impediat, cum impedire posset, peccatum, sed illud permittat, peccati auctorem esse, inferri non potest. Sed neque ob alterum, quod nempe ad illud concurrat, ut dictum est, cum posset non concurrere. Eo enim sensu, dictum est, concurrere ad hominum peccata, quod momento illo, quo peccant, eorum nedum existentiam, sed et vim conservat, qua agunt. Quis autem non videt, soli homini attribui debere, quod cum in sua sit potestate vim illam ad bonum aeque, vel malum applicare, ad hoc potius eam applicet, quam ad illud? Deum igitur nullatenus dicendum esse peccati auctorem, consequens est.

38. Errarunt 2.° Lutherani, et Calvinistae dicentes, omne peccatum natura sua esse mortale, ac poenam aeternam mereri; quibus deinde adhaesit Bajus,

ut constat ex prop. in ipso damnata a Pio V., et Greg. XIII., quae ajebat: *Nullum est peccatum natura sua veniale, sed omne peccatum meretur poenam aeternam*. Quae idcirco prop. cum sit falsa, quaenam igitur vera? Quod nempe *adest peccatum natura sua veniale, et quod poenam aeternam non meretur*. Porro id etiam est de fide. Et sane, dicitur peccatum mortale, *quod gratia sanctificante, et Dei amicitia privat, redditque hominem aeterna poena dignum*. Veniale vero, *quod nec gratia sanctificante, nec Dei amicitia privat, nec reddit hominem poena aeterna, sed tantum temporali dignum*. Dantur autem ex Scripturis peccata, quae *trabi* assimilantur (Matth. 7.), ac quae ii, *qui talia agunt, digni sunt morte* (*Ad Rom.* 1.), et *Regnum Dei non possidebunt* (*Ad Gal.* 7.). Et e contrario peccata, quae assimilantur *festucae* (*Matth.* 7.), et in quibus *septies cadit justus* (*Prov.* 24.); et a quibus qui se immunem dicat, *ipse se seducit, et veritas in eo non est* (1. *Jo.* c. 1.): ex quibus etiam sequitur, quod ex se dicenda sunt quaedam mortalia, et quaedam venialia, quemadmodum ex se *festuca* est aliquid leve, *trabs* vero ex se est aliquid grave: Patet igitur propositum. Quod confirmatur ex eo quod cum D. Joannes *l. c.* sese cum caeteris involvens, ajebat: *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est*; et D. Jacobus c. 3.: *In multis offendimus omnes*, neuter ab amicitia Dei desciverat. Quod cum ita sit, en clarius, dari peccata, quae non sunt mortalia, sed venialia; et quidem ex natura sua, quis enim tam audax, ut arguat hos San-

ctissimos Apostolos de peccato, quod ex natura sua fuerit mortale, eique poena numquam desitura fuisset debita? Magis igitur, magisque patet propositum. Quibus demum accedit, quod quis aequus rerum aestimator omnes quascumque offensas, quae in aliquem admitti possunt, graves reputet? An non severissima amicitiae lex illa esset, qua quis in amicum suum nec leviter peccare posset, quin statim amicitia discinderetur? Quis verbum otiosum tam gravem Dei offensam dicat ex natura sua, ut Dei amicitiam necessario dissolvat, idque potius cum infinita Dei benignitate non dicat pugnare? Hic simul tamen advertendum quod cum in omnium sententia quamdiu peccatum manet, semper sua poena dignum sit; cumque tamdiu illud maneat, quamdiu per poenitentiam non deletur, utpote sine qua impossibile est aliquod actuale peccatum remitti, nisi nempe displiceat, et animus ab eo sit aversus: hinc reprobi in Inferno ipsorum peccatorum venialium poenas dabunt aeternas, quia nulla ibi poenitentia, per quam peccatum remittatur, nempe infusa. Cui accedit, quod nulla cujuscumque peccati fit remissio, nisi per meritorum Christi applicationem. Nulla autem meritorum Christi applicatio in Inferno fit, cum damnati nec amplius ejus membra sint, nec Christus pro iis, ut in tali statu positis, mortuus fuerit: ergo.

39. Errarunt 3.° Joviniani, dicentes omnia peccata esse aequalia. Contra quos dicimus, tam inter peccata mortalia, quam inter venialia unum esse alio majus, ac unum alio gravius. Quod de mortalibus constat ex illis Christi verbis Matth. 12.: *Quicum-*

que dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei. Dantur ergo peccata, quorum alia difficilius remittuntur, quam alia; quod non esset, si omnia forent aequalia. Sicut etiam ex verbis, quae Christus ad Pilatum dixit: *Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet* (*Jo.* 16.). De venialibus vero ait Ap. 1. ad Cor. 3. *Si quis superaedificat super fundamentum hoc ligna, foenum, stipulam, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit, sic tamen, quasi per ignem.* Porro ligna, foenum, stipula sunt unum alio gravius. Et sane, ut praeclare disserit Genuensis: *È il peccato un' azione di ragione, e libera, discordante dalla legge, ed offendente i dritti di chicchessia. Or 1.° non tutti i dritti son egualmente grandi: Neppur dunque i peccati: 2.° essendo la legge una sorta di linea retta, dalla quale i peccati, come curve si distaccano, è chiaro, potersene distaccare per acuti, o ottusi angoli, e per diverse obliquità: 3.° consistendo la prima reità del peccato nella volontà contro la legge, questa volontà può essere più, o meno intensa, donde deve nascere una maggiore, o minore reità* (*Diceosina*). Quibus addimus, quod cum eorum malitia oriatur ex objecto, ex fine, et ex circumstantiis, ex iisdem quoque inaequalitas unum inter, et aliud oriri debet. Et 1.° ex objecto, peccata enim in Deum graviora aestimari debent, quam peccata in homines; blasphemia scilicet gravius peccatum, quam furtum, etc. Quod caeterum intelligendum, servata quadam proportione, atque, ut ajunt, *caeteris paribus*; quamvis enim blasphemia ex genere suo, et

ratione objecti majus sit peccatum, quam homicidium, quis tamen non existimet, blasphemiam non adeo gravem minus grave esse peccatum, quam occisionem centum hominum: ut in rebus physicis, quamquam aurum sit argento multo pretiosius, tamen pluris aestimatur magna argenti copia, quam parum auri? 2.° ex fine, quo enim pejor est finis, quem homo sibi proponit inter peccandum, eo certe gravius est peccatum; gravius enim est mendacium ob fornicandum, vel aliquem occidendum, quam mendacium mere officiosum: 3.° ex circumstantiis, ac potissimum personae peccantis, quae quo plura Deo, et proximo debet, gravius delinquit; nec non libertatis, atque intensionis actus, qui quo liberior est, et intensior, eo magis Deo displicere debet, etc.

40. Errarunt 4.°, qui post actum peccati nihil remanere ajebant in anima, nisi reatum. Et quidem per peccatum reatum contrahi, certum fide est ex illis Christi verbis Matth. 5.: *Qui dixerit etc.*, *reus erit gehennae ignis.* Est autem reatus *obligatio*, *seu debitum ad poenam ob proprium peccatum subeundam*; unde reatus est quid medium poenam inter, et culpam habens poenam pro termino, et culpam pro radice. Praeter reatum tamen, per actum peccati constitui hominem formaliter, ac permanenter peccatorem, usque dum remissionem de eo obtineat, constat ex ejusdem Christi verbis Luc. 7. *Remittuntur ei peccata multa.* Et Jo. 8. *In peccato vestro moriemini.* Et c. 20.: *Quorum remiseritis peccata*, *remittuntur eis*; *et quorum retinueritis*, *retenta sunt.* Quamdam proinde maculam per ipsum imprimi in anima, dicendum

est, ut fides docet, et confirmatur ex *Jos.* 22., ubi: *Peccastis in Beelphegor; et macula hujus sceleris in vobis permanet.* Ex *Jer.* 2., ubi: *Maculata es in iniquitate tua coram me, dicit Dominus.* Ex *Matth.* 15., ubi: *Quae autem procedunt de ore, de corde exeunt, et coinquinant hominem.* Ac demum ex iis Scripturae locis, in quibus peccatores dicuntur *inquinati*, et *immundi.* Nec solum peccatum mortale, sed etiam veniale maculam in anima imprimere, constat ex *Prov.* 20., ubi: *Quis potest dicere, mundum est cor meum; purus sum a peccato?* Ex *Job.* 15., ubi: *Quid est homo, ut immaculatus sit.* Ex *Jo.* 13., ubi: *Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet*; quibus verbis significatur, quod etiam a peccatis venialibus lavamur, et mundamur. Nec non ex D. Aug. *serm.* 41. *de Sanctis*, ubi ita ait de venialibus: *Quibus peccatis, licet occidi animam non credamus, ita tamen eam veluti quibusdam pustulis, et quasi horrenda scabie replentia deformem faciunt, ut eam ad amplexus illius Sponsi Coelestis aut vix, aut cum grandi confusione venire permittant.*

41. In quo autem consistat haec macula, certum est, non consistere in ipso peccati reatu, ut constat ex dictis n. ant., atque ex prop. in Bajo proscripta: *In peccato duo sunt, actus, et reatus. Transeunte autem actu, nihil remanet, nisi reatus, sive obligatio ad poenam.* Porro si macula idem cum reatu esset, verum esset, transeunte actu, solum superesse reatum. Accedit, quod ideo peccator deputatur ad poenam, quia peccati macula est infectus. Reatus igitur supponit maculam. Certum quoque est, non consistere in

injuria per peccatum Deo illata, macula enim se tenet ex parte animae, injuria vero Deum connotat. Neque etiam dicimus consistere in privatione solius gratiae sanctificantis: 1.° quia in statu naturae purae maculam quoque homo contraxisset peccando. Illam autem non contraxisset per privationem gratiae sanctificantis: ergo. 2.° quia cum multiplicantur peccata, multiplicantur etiam maculae. Id autem nec explicari, nec intelligi posset, si macula, quae per peccatum in anima imprimitur, in privatione solius gratiae sanctificantis consisteret, cum per primum peccatum lethale omnino jam gratia sanctificans amissa fuerit: ergo. 3.° quia fide constat, ipsum peccatum veniale, licet gratia sanctificante non privet, maculam tamen imprimere in anima. Verius itaque dicimus consistere in privatione spiritualis nitoris antea animae inexistentis, quare peccatum physice quidem sit praeteritum, sed moraliter perseveret: 1.°, quia sicut corpus maculatum dicitur, cum caret nitore sibi debito, sic et anima cum munditie sibi antea inexistente. 2.° quia sic, et non aliter explicatur quomodo in statu naturae purae, in qua homo gratia sanctificante donatus non fuisset, et tamen peccare potuisset, macula hujusmodi potuisset contrahi; et quomodo cum multiplicantur peccata, multiplicantur etiam maculae; et quomodo etiam per peccatum veniale macula in anima imprimitur: cum enim nitor ille, in cujus privatione constituimus maculam, quae in anima per peccatum imprimitur, consistat simul et in gratia sanctificante, et in meritorum possessione, et in vitalitate membri sub Christo capite (et quidem in his potissimum in praesenti

statu), et in lumine naturali, et in flexibilitate ad bonum, et in minori appetituum deordinatione, et in fervore erga Deum, hinc etiam peccatum veniale maculam imprimit, quia hunc fervorem imminuit, animamque ad alia praedicta bona amittenda disponit; et cum multiplicantur peccata multiplicantur maculae, quia nitor ille plures habet gradus, ideoque per peccatorum multitudinem magis, ac magis deperdi potest; ac exceptis his, quae diximus ad praesentem statum pertinere, caetera tam in statu naturae purae, quam in hoc minui, ac deperdi potuissent.

42. Errant 5.°, qui de peccatis mere internis nullum sibi scrupulum injiciunt, modo in opus externum non prodierint: fuitque hic error Pharisaeorum eosque inter ipsius Josephi Hebraei l. 12. *Antiqu.* c. 13. ubi: *Voluisse, sed non perfecisse sacrilegium non videtur res digna supplicio.* Contra quos fides docet, quod praeter peccata *operis*, vel *oris*, seu quae *opere*, vel *ore* consummantur, adsunt quoque peccata *cordis*, quae *corde* tantum perficiuntur, hominemque formaliter, ac permanenter peccatorem constituunt perinde ac peccata *oris*, et *operis*. Quod constat et ex Scripturis, ubi: *Abominatio Domini cogitationes malae* (*Prov.* 15.). *Perversae cogitationes separant a Deo* (*Sap.* 1.) *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam moechatus est eam in corde suo* (*Matth.* 5.) Et ex illis D. Aug. verbis. *l.* 1. *Retract.* c. 9., quod *voluntas est, qua peccatur, et recte vivitur*; ex quo sequitur ut diximus l. 4. n. 21., quod actus externus nullam habet imputabilitatem sibi propriam, et distinctam ab imputabilitate actus interni.

43. Porro peccata hujusmodi, quae dicuntur *cordis*, sunt vel desiderium, vel delectatio mali: 1.° enim nemini dubium esse potest, quod operis mali desiderium non solum sit malum, sed peccatum quoque ejusdem speciei, et malitiae cum ipso opere, utpote ejus objectum, a quo actus speciem suam desumit. Quid autem dicendum, si desiderium sit tantum conditionatum? Ad quod respondetur, quod si conditio non auferat malitiam objecti, ut evenit in iis, quae sunt intrinsece mala, nec etiam excusat a culpa: secus excusat. Haec satis de desiderio; fusius namque agendum de delectatione mali, quae etiam dicitur morosa. Et 1.° haec definitur *delectatio de aliqua re turpi in parte inferiori, quam ratio non repellit, quando in eam advertit*: ob quod postremum dicitur morosa, quia nempe homo non statim dissentit per voluntatem; sive, ut loquitur D. Th. 2. 2. q. 74. a. 1., *non ex mora temporis, sed quia ratio deliberans circa eam immoratur.* Esse autem peccatum, patet, quia, ut idem D. Th. disserit l. c. art. 8. *Nemo delectatur, nisi in eo, quod est conforme appetitui ejus*, idest quod amat, et cui suaviter inhaeret. Amare autem rem illicitam, eique cum gaudio inhaerere, excusari nequit a mortali, si res amata sit mortalis, ut fornicatio; a veniali, si sit venialis, ut leve proximi malum: Ergo. Et quidem si delectatio respiciat praeteritum, opus scilicet malum jam patratum, nemini dubium esse potest, quod sit etiam peccatum ejusdem speciei, ac malitiae cum ipso opere, ex ratione supra allata: si vero respiciat tempus praesens, valde probabilis est ex Lig. l. 5. n.

15. sententia, quod si quis delectatur de copula cum nupta, non quia nupta, sed quia pulchra, non contrahit adulterii malitiam, quia tunc adulterium non ingreditur in delectationem, ideoque castitas tantum, non justitia laeditur. Subdit tamen, quod licet ratione delectationis non adsit obligatio explicandi in confessione circumstantiam adulterii, in praxi tamen est explicanda ratione periculi proximi concupiscendi saltem inefficaciter, mulierem illam nuptam, in quod se conjicit, qui de ea delectatur.

44. Quid vero dicendum de sponsis, et viduis, qui delectantur de copula futura, vel praeterita: vel de conjugibus, qui delectantur de actu conjugii praeterito, futuro, vel possibili, respectu compartis praesentis, vel absentis? Ad quod idem Lig. respondet l. 5. n. 24, quod, secluso etiam periculo delectationis sensitivae, nec sponsis, nec viduis umquam licet delectari de copula futura, vel praeterita; quia delectatio reddit sibi objectum praesens: ex quo sequitur, quod semper ac objectum praesens hic, et nunc est malum, cum absit hic, et nunc conditio cohonestans matrimonii, mala etiam est omnis actualis delectatio de illo. Utque idem diversimode dicamus, cum omnis copula carnalis extra statum matrimonii sit fornicatio, hinc utrique delectarentur de objecto hic, et nunc graviter intrinsece malo, et a cujus malitia hic, et nunc praescindi non potest. Diximus *delectari*; subdit enim Lig., aliud dicendum de desiderio, quo sponsus velit absque delectatione copulam futuram; hoc enim licet, quia cum voluntas fertur in objectum futurum, potest illud desiderare sub con-

ditione, qua objectum licebit. At (pergit) quia in tali desiderio adest etiam periculum delectationis, hortandi idcirco sunt sponsi, ut sedulo a se avertant hujusmodi cogitationes.

45. Quoad alterum vero, an scilicet conjugibus liceat delectari de copula habita, vel habenda, quae nequeat de praesenti haberi, docet Lig. l. 6. n. 937, quod si delectatio habeatur non solum cum commotione spirituum, sed etiam cum titillatione, seu voluptate venerea, nequit a mortali excusari, utpote proxime conjuncta cum pollutionis periculo. Si vero habeatur absque tali titillatione, ac voluptate, cum sola commotione spirituum, est venialis, quia cum nequeat ordinari ad copulam praesentem, caret debito fine, sed non mortalis, quia deest periculum proximum pollutionis. Subjugens simul, quod cum talis commotio propinqua sit titillationi, seu voluptati venereae, maxime idcirco hortandi sunt conjuges, ut se abstineant ab hujusmodi delectatione morosa.

46. Quomodo autem resistendum sit motibus delectationis venereae, consulantur quae diximus l. 2. num. 216. An vero liceat delectari de opere objective malo ob bonum effectum inde exortum, negant communiter DD., quia idem esset, ac delectari de ipso opere malo. Bene tamen licet delectari de effectu bono secuto ab opere malo, cum delectatio non feratur in hoc casu in objectum malum, sed in effectum bonum. Ob quam rationem licitum quoque est delectari de modo malae operationis, si ipse modus non sit malus, nec adsit periculum gaudendi de ipso objecto malo, et non intercedat aliqua affectio inor-

dinata: ut ex gr. ridere de modo incedendi in ebrio, de artificio furis, ec.

47. Demum, licet magni nominis Theologi negent, peccatum mortale esse gravitatis, ac malitiae infinitae, verius tamen est affirmandum; et probatur 1.° ex infinitate Majestatis Dei, cujus est offensa, ut enim D. Th. disserit 3. p. q. 1. a. 2. ad 2., *tanto offensa est gravior, quanto major est ille, in quem delinquitur.* 2.° ex infinitate satisfactionum Christi, quae necessariae fuerunt, ut unanimiter docent TT. omnes cum D. Th. *l. c.*, in hypothesi condignae satisfactionis pro peccato reddendae. 3.° ex infinitate poenarum, utpote quae numquam habiturae sunt finem, quibus a Deo optimo, et justissimo, et qui ipsamet justitia est, in Inferno punitur. Nec obstat, quod nequit unum infinitum alio infinito esse majus; utque dictum est n. 39., datur peccatum mortale alio majus. Sunt enim utique alia aliis majora quoad malitiam petitam ex objecto, fine, et circumstantiis, non vero quoad malitiam, quatenus Dei offensa: eo fere modo, quo valor meritorum Christi, qui oriebatur ex objecto, et circumstantiis ipsius actuum, erat inaequalis pro ratione objecti, et circumstantiarum; qui vero oriebatur a dignitate ipsius Personae, eratque infinitus, in omnibus ejus actibus aequalis erat. Nec dicatur ad 1. arg., quod si valeret, etiam peccatum veniale dicendum esset gravitatis, et malitiae infinitae. Cum enim peccatum veniale consistat vel in violatione alicujus levis praecepti, vel in violatione alicujus praecepti gravis, sed in parva materia, vel tandem in violatione alicujus praecepti gra-

vis, et in materia gravi, sed absque sufficienti voluntatis deliberatione, ideoque solvere amicitiam nequeat inter Deum, et hominem, quippe quod id genus peccata neque etiam amicitiam solvunt hominem inter, et hominem: hinc peccatum veniale haberi nequit absolute, velut Dei offensa, sed tantum velut aliquid inconveniens, et Deo displicens, actus namque absolute offensivus amicitiam solvit.

Caput II.

De advertentia necessaria ad peccatum mortale.

48. Et 1.° dicimus, aliquam advertentiam actualem absolute necessariam esse ad peccandum: 1.° quia cum sit de peccati essentia, ut sit quid voluntarium, unde D. Thomas ait: *In actu voluntario, et deordinato consistit ratio peccati*; ubi omnino desit voluntas peccandi, omnino quoque deerit peccatum. Nil autem volitum, quin praecognitum: Ubi ergo omnino desit cognitio, sive advertentia peccati, omnino quoque peccatum deesse, consequens est. 2.° quia ut ostendimus *l.* 1. *n.* 5., *et sequ.*, ignorantia invincibilis etiam circa ea, quae remote colliguntur ex principiis legis naturalis, a peccato excusat. Cum autem inadvertentia, inconsideratio, et oblivio sint debitae actualis cognitionis carentia, hinc et inadvertentia, inconsideratio, et oblivio invincibilis ad invincibilem ignorantiam revocantur, et ejusdem cum ea conditionis sunt: Et hae igitur a peccato excusant. Nec audiendi sunt, qui docent, ignorantiam solius juris positivi

excusare a peccato; idque ideo, quia actus jure positivo prohibitus non est intrinsece malus, sed tantum illicitus, quia prohibitus; unde si ignoretur prohibitio, sitque hujusmodi ignorantia omnino involuntaria, actus peccatum non est. Actus vero lege naturali prohibitus est intrinsece, et essentialiter malus, ideoque a culpa inseparabilis, non modo independenter a cognitione prohibitionis, sed et ab ipsa prohibitione facta. Resp. enim, quod cum dicuntur nonnulli actus intrinsece, et essentialiter mali, cujusmodi sunt peccata adversus legem naturalem, id intelligitur eo sensu, quod sint mali independenter ab ulla lege positiva, per quam prohibeantur, non autem quasi mali sint, et ad peccatum imputentur independenter a cognitione legis, per quam prohibentur, quae cognitio legis vel sit, vel saltem esse potuerit in agente: nihil enim est intrinsece malum, et vitio verti potest, nisi quod voluntarium est, et liberum; nec aliquid est voluntarium, et liberum, quod non sit praecognitum. Nec facessit, quod et a Synodo Diospolitana, et a SS. Aug., et Hier. improbatum fuit illud Pelagianorum dogma: *Oblivionem, et ignorantiam non subjacere peccato, quoniam non secundum voluntatem eveniunt, sed secundum necessitatem.* Ideo enim improbatum fuit, quia de omni oblivione, et ignorantia id docebant, ut patet ex illis Aug. verbis l. 1. de lib. arb. c. 19.: *Non tibi imputatur ad culpam quod invitus ignoras, sed quod negligis quaerere quod ignoras*: ex quibus an non evidens, quod Pelagiani nedum de ignorantia invincibili docebant, eam non subjacere peccato, sed de ipsa ignorantia vincibili?

49. Dicimus tamen 2.°, quod ad peccandum non requiritur absolute advertentia ad peccatum *in se*, *et distincte*, sed sufficit advertentia ad peccatum *in causa*, *et confuse*, ita ut confuse tantum, et in genere praevideatur peccatum ex tali causa secuturum. Et sane quod conscientia vincibiliter erronea non excuset a peccato, ostendimus l. 1. n. 4. Qui autem operatur ex conscientia vincibiliter erronea nullam habet advertentiam ad peccatum *in se*, *et distincte*, cum nec advertat ad actus malitiam, nec ullam de hac dubitationem, vel scrupulum habeat: Non ergo requiritur ad peccatum advertentia ad illud *in se*, *et distincte*. Utque idem diversimode dicamus, quod dentur peccata ignorantiae, patet ex iis, quae diximus l. c.; quibus addimus et verba D. Petri ad Judaeos, qui Christum occiderant: *Scio*, *fratres*, *quia per ignorantiam fecistis* (*Act.* 3.); et verba D. Pauli respectu eorumdem: *Si cognovissent*, *numquam Dominum gloriae crucifixissent* (1. *ad Cor.* 2.); et demum quod dicitur ab eodem in *ep. ad Heb.*, Sacerdotes nempe veteris legis obtulisse sanguinem *pro sua*, *et populi ignorantia* (9.). Ignorantia autem excludit rei cognitionem, ideoque actualem ejusdem notitiam, dubiumve, aut scrupulum: Non ergo requiritur ad peccatum actualis ejus notitia, dubium, aut scrupulum, nec proinde advertentia ad illud *in se*, *et distincte*. Ad quod accedit, quod si ad peccatum necessaria esset absolute hujusmodi advertentia, homines quo scelestiores, eo excusabiliores essent, et a culpa immunes; quo enim scelestiores sunt, eo graviora mala patrant, nihil mali *in se*, *et distincte* animadvertentes.

50. Ex eo autem, quod ad peccandum non requiritur absolute advertentia ad peccatum *in se*, *et distincte*, prono alveo fluit, satis ad peccandum esse advertentiam ad illud *in causa*, *et confuse*, ita ut confuse tantum, et in genere praevisum fuerit peccatum ex tali causa secuturum. Hinc sequitur, ut docet Lig. l. 5. n. 4., quod cum peccati inadvertentia oritur vel ex negligentia culpabili in addiscendo proprii muneris obligationes; vel ex passione, quam quis voluerit deliberate sequi; vel ex pravo habitu, quem homo extirpare neglexerit; vel demum ex praecipitantia operandi: in cunctis his casibus inadvertentia non excusat a peccato, quia etsi non adfuerit advertentia ad illud *in se*, *et distincte*, bene tamen adfuit advertentia ad illud *in causa*, *et confuse*. Ex quibus omnibus concludendum quoque cum eodem *l. c.*, quod opinio eorum, qui dicunt operanti adversus legem imputandos esse omnes errores, quos committit, etiamsi nulla umquam intercesserit actualis advertentia nec *in se*, *et distincte*, nec *in causa*, *et confuse*, sed tantum adfuerit advertentia interpretativa, in hoc dumtaxat consistens, quod debuerit, et potuerit sola potentia physica, et remota malitiam advertere, haec, inquam, opinio nullatenus sustineri potest. Qua super re consulantur etiam quae diximus l. 1. n. 5., et sequ.; ac l. 4. n. 3.

Caput III.

De ratione distinctiva inter peccatum mortale, ac veniale; quotque modis veniale in mortale transeat, et vicissim.

51. Per quod igitur mortale a veniali distinguatur, hic primum sermo. Qua super re communiter rejicitur sententia Scoti, quod mortale sit contra praeceptum, veniale autem contra consilium: 1.° quia actus contra consilium dici nequit peccatum veniale ex eo solum, quod sit contra consilium, est namque peccatum, ut constat ex ejus definitione ab omnibus tradita, *libera legis transgressio*, ideoque omne peccatum est *contra legem*; ob quod ait quoque Ap. ad Rom. 7. *Non cognovi peccatum, nisi per legem*: 2.° quia nubere non est peccatum, nec etiam veniale, juxta id, quod ait idem Ap. 1. ad Cor. 7.: *Si autem acceperis uxorem, non peccasti; et si nupserit virgo, non peccavit*: et tamen, eodem docente, est contra consilium; ait namque ibid. *De Virginibus praeceptum Domini non habeo, consilium autem do, ut sim fidelis*; quia nempe ipse Christus idem consilium dederat illis verbis apud Matth. 19. *Sunt Eunuchi, qui seipsos castraverunt propter Regnum Coelorum. Qui potest capere, capiat.* Rejicitur quoque sententia dicentium, in eo differre peccatum mortale a veniali, quia mortale est contra, veniale vero non contra, sed praeter legem; in qua sententia videtur fuisse D. Th. 1. 2. *qu.* 88., *a.* 1.: 1.° enim et mendacium

jocosum, et juramentum sine judicio utrumque est contra legem; habetur namque Eccli. 7. *Noli velle mentiri.* Et Ier. 4. *Jurabis in veritate, judicio, et justitia*; et tamen utrumque non est ex communi sententia, nisi tantum veniale: 2.° quia transgressio legis, ut universe definitur peccatum, haberi nequit, nisi actus sit contra legem.

52. Dicendum proinde cum Lig. l. 5. n. 11., in eo veniale differre a mortali, quod *veniale* est tantum contra modum legis, *mortale* est contra ipsam legis substantiam: quia enim veniale habetur, cum violatur vel praeceptum in se leve, vel praeceptum grave, sed in materia levi, vel demum praeceptum quidem grave, et in materia gravi, sed absque sufficienti deliberatione, per veniale idcirco lex tantum non servatur illa cum perfectione, ac sedulitate, quam Majestas, ac dignitas Legislatoris efflagitant. Perfectio autem, ac sedulitas modum tantum, quo lex observanda est, constituunt; qui modus et ipse praeceptus est *Ps.* 118., ubi: *Tu mandasti, mandata tua custodiri nimis*: etc. E contrario per peccatum mortale violatur plena cum deliberatione vel praeceptum grave ex genere suo toto, vel quamvis non grave ex genere suo toto, in materia tamen gravi. In utroquè autem casu nedum modus, sed et ipsa legis substantia prorsus, et omnino destruitur.

53. Quot autem modis veniale in mortale transeat, et vicissim, nunc videndum. Peccatum igitur suapte natura veniale potest per accidens mortale evadere: 1.° ratione animi actu, et advertenter dispositi ad illud patrandum, tametsi sciret mortale esse: 2.° ra-

tione finis graviter peccaminosi, ut si quis jocosa verba pronuntiet ad alliciendam mulierem ad peccatum: 3.° ratione scandali, ut si quis leviter alium irrideat, praenoscens inde ad gravem iram illum provocatum iri: 4.° ratione periculi, in quod operantem conjiciat mortaliter peccandi, ut si quis otiose cum foemina colloquatur, satis expertus se ex iis colloquiis saepe mortaliter peccasse: 5.° ratione materiae, quam compleat, ut sit sufficiens ad mortale: 6.° ratione conscientie erroneae: 7.° ratione formalis contemptus ipsius Legis, vel Legislatoris, cum enim non sit *potestas*, *nisi a Deo*, hinc qui Superiores spernit, Deum ipsum spernit. Advertendum tamen hac super re 1.°, quod contemnere rem praeceptam, non quia praecepta est, sed quia parva est; vel Legislatorem, non ut talem, sed ut hominem suis obnoxium defectibus, non est mortale: 2.° errare eos, qui peccatum ex consuetudine eo ipso censent esse ex contemptu; sicut enim datur comtemptus absque consuetudine, sic dari potest consuetudo absque contemptu.

54. Peccatum vero, quod suapte natura est mortale potest per accidens veniale evadere 1.° ex defectu perfectae advertentiae: tum quia cum peccatum mortale amicitiam solvat inter Deum, et hominem, reddatque hunc poena aeterna dignum, sat esse nequit ad malum hujusmodi imperfecta ad peccatum advertentia, sed talis requiri debet, qualis in rebus magni momenti requiritur: tum quia sicut tenuitas materiae efficit, ut non sit mortale, quod alioqui ejusmodi esset, sic tenuitas advertentiae debet efficere, ut nec etiam sit mortale, quod alioqui esset mortale. Hinc

regulariter a mortali excusantur ex defectu advertentiae infantes septennio minores, qui dubitant, an mortaliter peccaverint, quia praesumitur sufficientem rationis usum non habuisse: sicut etiam semifatui, semidormientes, vel qui dubitent, an perfecte a somno vigilaverant, qui enim ex plena advertentia agunt, satis sciunt, se a somno vigilasse, nisi mora temporis oblivionem induxerit: ac demum qui peccati tempore vehementi alterius objecti meditatione detinebantur; qua super re praestat Bolgenium audire *in Dissert. super actibus humanis* §. 368. ubi: *Certi lumi deboli, passeggieri, e involti in molta oscurità, i quali si affacciano alla mente, e passano via in un momento, come piccioli lampi agli occhi, non son capaci di produrre l' effetto di un peccato mortale in chi non ci bada, o li rigetta. Si può questo punto, ch' è di somma importanza, provare coll' autorità di S. Tommaso, argomentando da una sua dottrina insegnata in più luoghi. Ad effetto di contrarre l' obbligo di un voto, che si facciu, il S. D. ricerca* plenum usum rationis, *talmente che* si puer vovens non haberet plenum usum rationis, non obligaretur quoad Deum (2. 2. q. 189. a. 5.). *E la ragione di ciò è, perchè a contrarre un obbligo grave, si ricerca una cognizione corrispondente alla natura, e alla gravità dell' obbligo; qual cognizione non può aversi da chi non ha l' uso di ragione pieno. Ora i lumi molto deboli, passeggieri, e oscuri non corrispondono alla gravezza di un obbligo: dunque ec. Così anche le titubanze, e i dubbj leggieri, è di pochissimo momento non tolgono la certezza morale, come e noto, e certo presso tutti,*

onde si può operare lecitamente, non ostante tali dubbj, che si disprezzano. Per la medesima ragione i lumi assai morti, e passeggieri, se si trapassano senza badarci, non potranno mai indurre un obligo di peccato mortale, quantunque voglia ammettersi, che inducano qualche obbligazione, la trasgressione della quale sia colpevole venialmente: 2.° peccatum suapte natura mortale potest per accidens veniale evadere ex defectu perfecti consensus: cujus ratio est eadem n. ant. allata. Ex quo principio nedum regulariter a mortali excusantur qui ab eo excusantur defectu advertentiae, utpote ex cujus perfectione oritur perfectio consensus, verum etiam qui probatae pietatis sint, ac dubitent, an perfecte peccato consenserint, prout docent etiam rigidioris notae Theologi, ex quibus Habert. *tr.* 3. *de consc. c.* 2., ubi: *Si vir probatae pietatis anxius sit, an consenserit delectationi venereae, moraliter certus esse debet, non consensisse, quia moraliter fieri nequit, ut voluntas tam firma in bono proposito mutetur, quin dilucide advertat*: 3.° potest per accidens veniale evadere ex defectu materiae, modo agatur de peccato, quod materiae parvitatem admittat. Est namque peccatum mortale vel ex toto suo genere mortale; vel mortale ex genere suo, sed non toto. Illud est *quod quantum patet gravem semper imbibit deordinationem*. Hoc vero, *cujus materia gravis non est, nisi in certa quadam quantitate*. Porro quae sunt prioris generis, ex imperfectione tantum advertentiae, vel consensus, venialia esse possunt, numquam vero ex parvitate materiae: suntque hujusmodi peccata immediate contra Deum, ut infidelitas, despe-

ratio, odium Dei, blasphemia, perjurium, superstitio, simonia, fractio sigilli sacramentalis; sicut etiam quaedam peccata contra proximum, ut homicidium mutilatio injusta, ac duellum: ac demum quaedam peccata contra nos ipsos, ut ebrietas, delectatio venerea extra conjugium, pollutio, aliique actus luxuriae. Quae vero sunt alterius generis, etsi ex genere suo mortalia, possunt venialia evadere ob materiae parvitatem: quam tamen parvam esse, vel gravem, 1.° aestimari debet, non absolute tantum, sed ex fine etiam praecepti, ut diximus l. 1. n. 86.; Adam namque comedendo fructum vetitum, cujus comestio erat in se quid levissimum, mortaliter peccavit, quia illius praecepti finis erat quid gravissimum, ut nempe Adam illo obedientiae actu debitam Creatori subjectionem protestaretur: 2.° ex materia praecedenti, an scilicet connectatur, necne cum materia praesenti; qui enim saepe in die jejunii pauca comedat, qui saepe per minuta furtula auferat rem levem, non venialiter, sed mortaliter peccat, quia paucula illa moraliter connectuntur, atque in unam summam totalem coalescunt, quae statim ac gravis fit, grave etiam peccatum debet constituere.

Caput IV.

De specifica, ac numerica peccatorum distinctione.

55. Valde interest scire quod declarandum in hoc capite suscipimus, definiit namque Trid. sess. 14.

c. 5. can. 7., *necessarium esse jure Divino confiteri omnia, et singula peccata mortalia, et circumstantias, quae speciem peccati mutant.* Et 1.° quoad distinctionem specificam, distinguenda sunt peccata omissionis, suntque haec *transgressio praecepti affirmativi, quo jubetur actus bonus*, ut perceptio Eucharistiae in Paschate, etc., ab iis, quae dicuntur commissionis, suntque haec *transgressio praecepti negativi, quo prohibetur, ne fiat aliquid mali*, ut furari, moechari, etc. Si agatur de peccatis primi generis, horum distinctio specifica petitur ex distinctione specifica objectorum, quae omissa fuerint. Sic omissio Communionis Paschalis, vel Sacri in die festo sunt peccata specie diversa, licet contra eamdem virtutem obedientiae, quae Ecclesiae debetur, quia Communio, et Sacrum sunt objecta specie diversa. Si vero agatur de peccatis secundi generis, horum distinctio specifica petenda est ex Lig. l. c. n. 31. ex duplici radice, idest 1.° ex oppositione ad diversas virtutes; 2.° ex diversa difformitate contra eamdem virtutem: cumque haec difformitas contra eamdem virtutem sit diversa, cum actus opponitur vel diversis ejusdem virtutis officiis, vel eidem virtuti, sed modo aut contrario, aut disparato; hinc, ut idem clarius explicemus, distinctionem specificam peccatorum commissionis oriri dicimus ex oppositione vel diversis virtutibus, vel diversis ejusdem virtutis officiis, vel eidem virtuti, sed modo aut contrario, aut disparato: quod exemplis probatur.

56. Et 1.° infidelitas, desperatio, odium Dei, et superstitio sunt peccata specie diversa, quia diversis

virtutibus opponuntur, fidei nempe, spei, charitati, ac religioni. Sicut etiam copula carnalis, quam Sacerdos habeat cum conjugata, ac sibi consanguinea, etsi unus, idemque actus, quia tamen plures simul virtutes laedit, castitatem nempe, religionem, justitiam, pietatem, ac charitatem, plura etiam specie diversa peccata comprehendit, estque simul fornicatio, sacrilegium, adulterium, incestus, et scandalum. 2.° Idololatria, superstitio, blasphemia, perjurium, et sacrilegium specie differunt, quia laedunt diversa ejusdem virtutis Religionis officia; obligat namque Religionis virtus et ne cultum Deo debitum ulli creaturae tribuamus, contra quod facit Idololatria; et ne Deus vitioso cultu honoretur, contra quod facit superstitio; et ne convicium ullum contra ipsum, vel Sanctos suos proferatur, contra quod facit blasphemia; et ne invocetur in testem alicujus rei falsae, contra quod facit perjurium; et ne vel locus, vel persona, vel res ipsi sacra violetur, contra quod facit sacrilegium. 3.° prodigalitas, et avaritia, praesumptio, et desperatio diversae sunt speciei, quia licet uni, eidemque virtuti opponantur, liberalitati scilicet, et spei, modo tamen contrario illi opponuntur, per excessum scilicet, et per defectum. 4.° furtum, rapina, detractio, homicidium specifice differunt, quia etiamsi iisdem virtutibus opponantur, idest charitati, et justitiae, illis tamen modo disparato opponuntur, aliter namque utraque laeditur juxta communem aestimationem auferendo sive occulte alterius bona, invito rationabiliter Domino, sive per vim illi illatam; aliter auferendo alteri famam; aliter auferendo illi vitam.

57. Ex diversitate autem praeceptorum tunc oriuntur plura specie diversa peccata, cum idem praecipiunt ex diverso motivo, qui enim illa in hoc casu transgreditur, etsi uno, eodemque actu, diversas tamen virtutes laedit: secus vero, si ex eodem motivo idem praecipiant. Sic obstrictus voto non comedendi carnes duplex specie peccatum committit, si illas comedat in quadragesima, quia preceptum servandi votum illi abstinentiam carnium praecipit ex motivo Religionis; praeceptum vero Ecclesiae illi praecipit abstinentiam carnium ex motivo poenitentiae. Homicidium vero faciens unum specie peccatum committit, quia etsi et lex naturalis, et lex Divina, et lex civilis praecipiant non occidere, idem tamen praecipiunt ex eodem motivo.

58. Consequenter modo ad dicta, valde refert ad praxim cum Lig. l. 5. n. 50. advertere, quod si quis diversa mala inimico optet, puta infamiam, paupertatem, mortem, ec., dummodo mala illa apprehendat sub uno genere mali, nempe ut media ruinae inimico optatae, unum specie peccatum committit, quia tantum peccat contra charitatem, qua non debemus proximo malum velle. Secus tamen dicendum, si praefata mala illi optet in specie, quia tunc eadem charitatis virtus equidem laeditur, sed modo disparato. Probabilius tamen censet n. 48., plura specie peccata committere, qui detrahit alicui in pluribus materiis, vel eum diversis contumeliis afficit; cum enim laedantur diversa jura ad famam, vel honorem, quae alteri competunt, per hoc namque quod aliquis sit diffamatus in uno crimine, non ideo est

diffamatus in alio, charitas proinde, et justitia laeduntur modo disparato. Simul tamen advertens cum Salm., et Concina, quod mulierculae, et plebeji, qui simul rixantes diversis contumeliis in eodem impetu se onerant, unum peccatum committunt; quia juxta communem aestimationem famam, et honorem sibi non laedunt de facto, cum ex una parte convicia inter hujusmodi personas non apprehendantur, ut gravia, et ex altera audientes nullam ipsis fidem praestent, putantes, illas potius proficisci ex impetu irae, quam ex animo, et rei veritate; ex quo concludit, tales rixantes ut plurimum excusari a mortali, nisi forte de aliquo particulari facto adversarium improperent.

59. Diutius super distinctione numerica immorandum. Et 1.° quoad hanc certum est, tum peccata specie diversa, tum species diversas peccatorum, quae in uno, eodemque actu reperiantur, totidem quoque constituere numero distincta peccata; quia in iis, quae essentialiter differunt, unum non est aliud, ac proinde numerus multiplicatur. Certum 2.° est, quod interruptio physica persaepe unitati morali non nocet; ut patet in prandio, quod unicum censetur, licet per colloquium aliquod, aut epistolae lectionem interrumpatur. Sicut etiam, quod plures physice actus unum moraliter actum possunt constituere; quemadmodum censetur una moraliter comestio ejus, qui plura successive fercula manducat. Certum 3.° est, quod etsi ad distinctionem numericam regulariter sufficiat quaevis interruptio physica, in ordine tamen ad Confessionem actus non multiplicantur, nisi mo-

raliter *multi* sint, quia sicut in Confessione actus moralis, ita etiam multiplicatio, et distinctio moralis attendenda est.

60. Quibus praemissis: numerica peccatorum distinctio e duabus radicibus communiter sumitur: idest 1.° ex multiplicitate actuum moraliter interruptorum, 2.° ex multiplicitate objectorum totalium. Quoad 1., omnes conveniunt, quod ut declaretur, quandonam actus voluntatis moraliter interrumpantur, distinguendi sunt cum Lig. l. 5. n. 37. actus interni ab externis; et quoad actus internos, distinguendi item sunt actus mere interni, qui etiam peccata *cordis* vocantur, ab actibus internis circa peccata *oris*, et *operis*. Actus interni primi generis, ut odia, haereses, delectationes morosae, desideria turpia, ec., quia omnino interne perficiuntur, nec unus ab alio pendet, nequeunt unum actum constituere; ideoque tot dicendi sunt actus interrupti, quot sunt. Contradicunt quidem Canus, Lugo, aliique, dicentes, non interrumpi, nisi tantum per contrariam voluntatem; donec enim, inquiunt, non disjunguntur per actum contrarium, omnes, sive multi sint, sive pauci, unitatem usque ad id tempus desumunt ab habituali permanentia malae cogitationis; tum quia semper interpretative remanet prior voluntas, donec non sit retractata, ideoque etiam unus semper interpretative actus; tum quia ratione illius permanentiae animus peccatoris semper affectus est, et promptus ad illas malas cogitationes, nisi lapsu temporis, rerumve mutationibus friguerit, immo evanuerit velut natura sua illa prava voluntas. Addit Canus, quod cum interru-

ptio non fuit per actum contrarium, sed naturalis; dicendo in hoc casu ex. gr.: *Tota die amavi foeminam*, sufficiens notitia datur Confessario et ad medendum, et ad judicandum (*Relect. de poenit. p.* 6.). Hanc tamen Lugonis, et Cani sententiam reprobat l. c. Lig., dicens, quod saltem, tamquam dubie probabilis, non est tenenda; valde enim urget et ratio supra allata, et quod communi sensui adversatur: ac tantum nec approbat, nec reprobat quod idem Lugo, aliique docent, quod nempe si plures hujusmodi actus ex eodem impetu concupiscentiae prodeant, unum peccatum mortale constituunt, etsi breve aliquod intervallum inter eos adfuerit. Caeterum quoad praxim, sive ab uno passionis impetu processerint, sive a pluribus, satius erit, et expeditius poenitentem interrogare, quoties illis consenserit, cum in utroque casu aeque Deum offenderit.

61. Actus vero interni circa peccata *oris*, et *operis*, cum relationem, seu connotationem dicant ad actum externum exequendum, ad hunc ex. gr., vel illum contumeliis afficiendum, occidendum, furandum, carnaliter cognoscendum, ec., moraliter proinde interrumpuntur 1.° per liberam retractationem voluntatis, 2.° per liberam cessationem a pravo proposito: quod (pravum scilicet propositum) docet Lig. l. 5. n. 39., non interrumpi per communes interruptiones, puta somnum, distractiones, comestionem, ec., ideoque actus non discontinuari, si intercedat breve tempus; secus, si tempus diuturnum, quale esse putat spatium excedens duos, vel tres dies ad summum, ita dicens: *Puto impetum unius actus difficulter posse protrahi, ov-*

dinarie loquendo, plus quam ad duos, vel tres dies ad summum: ac proinde qui perseverat in mala voluntate ultra duos, vel tres dies, explicare debet tempus, ut sic intelligatur moraliter numerus actuum internorum circa peccata externa. Tempus quidem diuturnum Viva dicit annum, Salm. mensem, et Lugo negat, malum propositum interrumpi per somnum, distractiones, comestionem, ec., etiamsi magna mora intercedat. Quae tamen cum sint communi sensui omnino opposita, satius quoque erit, et expeditius quoad praxim, poenitentem interrogare, quoties illis consensum praestiterit, absque eo quod interrogetur, si in uno passionis impetu, vel pluribus. Qua super re advertendum quoque cum Lig. n. 40., et comm., quod actus voluntatis circa peccata *oris*, et *operis* moraliter permanentes in aliquo effectu, qui connotationem dicat ad peccatum externum, unum numero peccatum constituunt, per quodcumque tempus duret prava voluntas: ut qui proponit occidere inimicum, ideoque arma praeparat, viam arripit, ac illum tandem occidit; uti etiam qui cum statuerit non restituere alienum, in eadem voluntate adhuc per annum maneat: et ille scilicet, licet per multos dies inimicum quaesierit, et pluries repetierit voluntatem illum occidendi; et iste, licet per annum non restituerit, unum numero commiserunt peccatum, quia in effectu armorum ad id paratorum quoad illum, et injustae detentionis alieni quoad istum virtualiter semper mansit primus voluntatis actus occidendi inimicum, ac detinendi alienum: quare excipitur quoad illum, si ab effectu insidiandi inimico destiterit, et denuo illi insidietur; quoad istum,

si factus impotens, denuo fiat potens ad restituendum.

62. Progredientes modo ad interruptionem actuum externorum, hi moraliter interrumpuntur 1.° cum non subordinantur ad aliquem actum principalem completum. 2.° cum non procedunt ex eodem impetu. Hinc ob 1.^{m} si quis pluries impudice tangat foeminam absque intentione copulae, pluries aliquem percutiat absque intentione occidendi, etc., nisi, ex mox dicendis, actus procedant ex eodem impetu, totidem numero peccata committit, quia quilibet ejus actus suam habet completam malitiam. E contrario tactus, oscula, amplexus, sermones impudici, etc. copulam carnalem praecedentia, immo etiam comitantia, et subsequentia, utpote complementa, et appendices operis, unum numero peccatum sunt: quod et docet Lig. l. 5. n. 41. de copulae habitae complacentia, si statim post copulam habeatur, nec ad novam copulam ordinetur. Hinc etiam Confessarius, qui in mortali successive plures absolvat, tot sacrilegia committit, quot absolutiones impertit, utpote actus, qui non subordinantur ad unum actum complendum, sed totidem actus completi. E contra Sacerdos pluribus successive Eucharistiam in lethali ministrans probabilius juxta Lig. l. 5. n. 50. unum peccatum committit, cum actus completus sit unus, idest una administratio, unumque convivium, dicitur enim in Rit. *Ubi vero omnes communicaverint, Sacerdos dicere poterit: O Sacrum convivium ec.* Ob alterum vero unum quoque peccatum committit ex Lig. n. 41. qui ex eodem impetu pluries aliquem percutiat, pluries mulierem inhoneste

targat, pluries eumdem Sanctum blasphemet, pluries aliquem in eadem materia convitietur, vel detrahat, ec., quia actus nempe ex eodem impetu prodeuntes. Atque haec sint satis quoad primam radicem distinctionis numericae peccatorum petitam ex multiplicitate actuum moraliter interruptorum, in qua omnes conveniunt.

63. Quoad aliam namque dissentiunt, ac decertant inter se DD.; quorum major pars, cumque iis Lig., stat pro sententia affirmativa ob solidam profecto rationem, quod sicut actus respiciens plura specie diversa objecta includit plura specie diversa peccata, quia laedit virtutes specie diversas, ita respiciens plura numero diversa objecta plura et numero diversa peccata includere dicendum est, quia quot sunt numero objecta, tot quoque numero sunt laesiones ejusdem virtutis. Nec obstat, quod actus sit physice unus; tum quia si actus physice unus potest esse specie multiplex in genere moris, ita etsi physice unus potest quoque esse in genere moris multiplex numero: tum quia actu physice uno posse plura numero committi peccata, patet, ait Lig., ex conjugati exemplo, qui copulam habens cum conjugata duas committit injustitias. Ergo et duo peccata (l. 5. n. 49.). Qua super re idem tamen Lig. advertit n. 40., quod non solum unum et specie, et numero peccatum committit qui diversa mala inimico optat, modo illa apprehendat sub uno genere mali, ut media nempe ruinae inimico optatae, ut cum eodem diximus n. 58., verum etiam qui coram pluribus alicui detrahat, cum jus ad famam sit unicum apud omnes; eamque factam coram

pluribus esse tantum circumstantiam aggravantem intra eamdem speciem. Unde cum satis probabilis sit sententia, quod non adsit obligatio explicandi in Confessione circumstantias aggravantes, satis probabile etiam est in casu proposito, non adesse obligationem explicandi numerum personarum, coram quibus facta est detractio, sed sufficere, quod dicatur: *Detraxi coram pluribus.* Sic etiam quod unum et specie, et numero peccatum committit, qui plures Sanctos unico actu blasphemet: cum enim omnes blasphemiae in SS. malitiam sumant ex una relatione ad Deum, hinc non improbabiliter unica injuria per talem blasphemiam mediate Deo infertur (n. 47.). Ac demum quod unum et specie, et numero peccatum committit qui plures fidei articulos neget: cum enim objectum formale fidei non sit multiplex, sed unicum, nempe veracitas Dei revelantis, hinc qui unum fidei articulum neget, non minus est infidelis, quam qui omnes negat; et ita e contra qui plures neget fidei articulos non magis est infidelis, quam qui negat unum (n. 50.).

64. Pro sententia vero negativa, quod non multiplicetur peccatum ex multiplicitate objectorum, stant quoque magni nominis Theologi, ut Suarez, Lugo, Laym., Viva, Anacl., ec.; ajunt namque, contradictionem videri, quod actu physice, et entitative uno plura numero committantur peccata. Quos inter media via incedens Bolgenius, distinguit, dicens, quod cum actus, etsi respiciens plura objecta, nullum tamen eorum realiter laedit, non multiplicatur peccatum ex numero objectorum, sed unum numero pec-

catum committitur; ut qui uno actu odii fertur in decem homines, uno actu desiderii optat ad plures foeminas accedere, uno voluntatis actu vult per plures dies Horas canonicas, vel jejunium omittere; revera enim (ait) videtur contradictio, quod actu physice, et entitative uno plura numero committantur peccata; falsumque est, quod illud unum vere aequivaleat tot numero, ac solum videtur, quod gravitatem peccati adaugeat. Si vero actus respiciens plura objecta haec simul realiter laedat, utique multiplicatur peccatum ex numero objectorum; cum enim quodvis eorum damnificetur, quot proinde sunt objecta numero distincta, tot etiam dicenda sunt numero distincta peccata (*Diss. sugli atti umani* §. 431., *e* 432.)

65. Media item via incedit sententia, quod cum ex actu peccaminoso nullum jus stricte sumptum violatum fuerit, neque etiam ex multiplicitate objectorum totalium habetur multiplicatio peccatorum; revera enim contradictio videtur, quod actu physice, et entitative uno, qui nec plures virtutes, nec jus plurium laedat, plura numero committantur peccata; sed tantum habetur circumstantia aggravans intra eamdem speciem, quia unius, ejusdemque virtutis violatio eo major, quo major est numerus objectorum. Si vero ex actu peccaminoso plurium objectorum jus, atque hoc stricte sumptum violatum fuerit, in hoc casu juxta numerum objectorum est quoque in illo actu peccatorum numerus; laesionem enim juris uniuscujusque quis non dicat peccatum numero distinctum? Hinc conjugatus copulam cum conjugata habens duplex adulterium committit, quia laedit jus et conjugis suae,

et conjugis alterius. Qui uno ictu duos homines occidat, duplex homicidium; qui uno actu duobus detrahat, duplicem detractionem; qui uno actu duobus furetur, duplex furtum: cum singulorum jus, atque hoc stricte sumptum, violet 1. ad propriam uxorem, 2. ad vitam, 3. ad famam, 4. ad substantias. Jus autem esse debet stricte sumptum, quod nempe est, ut diximus l. 2. n. 215, *potestas legitima ad aliquid vel sibi obligatum, vel sibi debitum*; nisi enim de jure hujusmodi agatur, habetur, inquiunt, dumtaxat alicujus virtutis violatio, non autem violatio in rigore alicujus juris. Respondent vero ad rationem supra allatam, quod sicut actus respiciens plura specie diversa objecta includit plura specie diversa peccata, ita respiciens plura numero diversa objecta plura et numero diversa peccata includere, dicendum est, quod sic dicendo supponitur quod est in quaestione: actus enim respiciens plura objecta specie diversa includit plura specie diversa peccata, quia laedit virtutes specie diversas: quod vero actus respiciens plura numero diversa objecta includat plura numero diversa peccata, id est, quod versatur in quaestione, et non asserendum, sed probandum. Tot inter autem sententiarum varietates, quod Ligorii sententia cunctis praeferenda sit, cuivis consideranti fit perspicuum: quod enim actus respiciens plura numero diversa objecta includat plura numero diversa peccata ex eo patet, ut diximus, quia quot sunt numero objecta, tot quoque numero sunt laesiones ejusdem virtutis. Falsum igitur, quod in allata paritate supponatur quod est in quaestione.

Caput V.

De peccatis capitalibus.

66. Et 1.° quae hujusmodi dicuntur, septem numerantur a Theologis post D. Greg.: suntque superbia, avaritia, invidia, luxuria, ira, acedia: et sic dicuntur, quia non solum sunt per se peccata, sed radix etiam, et causa impulsiva multorum aliorum peccatorum, de quibus in libro de praeceptis Decalogi, et Ecclesiae, ac subinde in libro de variorum statuum obligationibus locuti sumus. Quae autem remanent super iis scitu necessaria relate ad praxim, breviter in hoc capite collegimus, in quo tamen nihil de luxuria, cum de ea satis, ac fuse egerimus ubi de sexto Decalogi praecepto.

67. Et 1.° definitur superbia *inordinatus appetitus propriae excellentiae*; estque mortalis in genere suo, si sit consummata, et perfecta, ita ut quis ita excellere appetat, ut Deo, Superioribus, eorumque legibus subjici nolit. Superbiae autem opponitur *pusillanimitas*; estque etiam mortalis, si ejus causa aliquis detrectet id, ad quod sub mortali tenetur, 2.° definitur avaritia *inordinatus appetitus divitiarum*; estque mortalis, cum ejus causa avarus Divinas leges praevaricari non dubitet. Huic autem opponitur *prodigalitas*; estque etiam mortalis, si quis ejus causa liberis, et uxori pauperiem creat, vel impotentem se reddit ad solvenda debita, vel demum profundit bona Ecclesiastica, quae nonnisi in pios usus impendi pos-

sunt. 3.° definitur invidia *tristitia de alterius bono, quod destructum optat*, *vel non destructum dolet*; estque mortalis, cum ejus objectum, idest bonum proximi, de quo invidus tristatur, est grave. Si tamen tristitia de bono alterius sit, in quantum aliquis ex eo vel sibi, vel aliis nocumentum timeat, ut si inimicus ex. gr. ad officium evectus sibi facilius nocere possit, non est invidia, sed *timor*, qui per se non est peccatum, nisi sit inordinatus. Sic etiam si tristitia sit ex eo, quod nobis desit bonum, quod alter habet, quodque cuperemus, prout ille habet, et nos habere, neque etiam est invidia, sed *aemulatio*, seu *zelus*: sique hic sit circa bonum honestum, est laudabilis; si autem circa bona temporalia, interdum est venialis, ut si bonum dolenti sit improportionatum. Sic etiam si tristitia de bono alterius sit ob hujus indignitatem, neque etiam est invidia, sed *indignatio*, quae peccatum non est, nisi exinde Dei providentia arguatur.

68. Sequitur gula, quae definitur *inordinatus appetitus cibi*, *et potus*: estque ex genere suo tantum venialis, nisi quis gulae causa violet jejunia Ecclesiastica; vel inde fiat notabiliter ineptus ad officia, ad quae sub mortali tenetur, vel graviter suae valetudini noceat, vel ad perfectam usque ebrietatem velit bibere: sicut etiam difficile ex Lig. l. 5. n. 73. a mortali excusaretur sponte evomens quod sumpserit ad rursus comedendum, vel bibendum, cum magnam id deordinationem involvere videatur. Diximus autem *ad perfectam usque ebrietatem*; ut enim ebrietas sit peccatum mortale, requiritur ex communi sententia, ut sit perfecta, nempe quae omnino privet rationis usu; ut

enim docet D. Th. 2. 2. *qu.* 150 *a.* 2, et eum ipso omnes DD., in hoc consistit ebrietatis malitia, quod *homo volens, et sciens privat se usu rationis*: ex quo infert Lig. n. 75, quod non peccat mortaliter qui ex potu vini non amittit totaliter usum rationis, quamvis mens perturbetur, ita tamen ut discernere valeat inter bonum, et malum. An vero ad vitandam mortem liceat alicui se inebriare, respondet Lig. n. 76, quod ad vitandam mortem provenientem ex lethali morbo, sicut licitum est matri sumere pharmacum directe tendens ad servandam vitam, quamvis indirecte inde eveniat expulsio foetus, ut diximus l. 2. n. 177; ita licet potatio vini directe tendens ex medicorum judicio ad expellendos, sive corrigendos pravos humores, quamvis per accidens, et indirecte inde eveniat usus rationis privatio. Secus vero ad vitandam mortem, quam alter minitetur, nam sicut non licet matri per pharmacum expellere foetum, etsi inanimatum, ut c. l. diximus, ad effugiendam mortem, quam timeat a propinquis, utpote intrinsece malum directe pharmacum sumere ad foetum expellendum; ita nec licet alicui vinum sumere ad ebrietatem usque ad effugiendam mortem, quam ab altero timeat, utpote etiam intrinsece malum directe se privare rationis usu. Quod et firmatur ex D. Aug. *ser.* 232. *de Temp.* ubi: *Etiamsi ad hoc veniretur, ut tibi diceretur, aut bibas, aut morieris, melius erat, ut caro tua sobria occideretur, quam per ebrietatem anima moreretur.* Alteri vero ebrietatis occasionem praebere, ut a graviori malo impediatur, ut a sacrilegio, vel homicidio committendo, satis probabile Lig. censet n. 77., quod liceat, sive

ebrietas sit materialis, idest absque peccato, vinum illi praebendo vel valde generosum, vel medicatum, sive formalis, idest cum peccato; cum non sit ex dictis l. 2. n. 78, nisi cooperatio materialis ad ebrietatem alterius ex justa causa.

69. Sequitur ira, quae definitur *inordinatus appetitus vindictae*: estque mortalis, si grave malum proximo inferat, vel optet; vel si ei accedat blasphemia, maledictio, gravis contumelia, vel aliud hujusmodi. Quae proinde si desint, ordinarie est veniale ultra modum interius exardescere, vel exterius iracundiae signa exhibere. De maledictionibus autem in proximum ex ira prodeuntibus ait D. Th. 2, 2. q. 76. a 3, *quod maxime ex affectu pensantur*; non enim sunt gravia, nisi malum prolatum vere optetur, sitque grave, et optetur cum perfecta deliberatione; vel nisi in ira valde vehementi in aliquem proferantur cum gravi filiorum scandalo; vel demum nisi proferantur in parentes praesentes, idest coram iisdem, etsi absque animo, ut diximus l. 2. n. 151.

70. Acedia demum late sumptae est *animi taedium, seu remissio in exercitatione virtutum ob laborem ipsis adjunctum*. Stricte vero est *tristitia*, *et taedium de Divina amicitia*, *eo quod per laboriosum virtutum exercitium servari debet*. Hinc primo modo accepta est mortalis, cum a gravibus obligationibus, ut par est, adimplendis hominem avertit. Accepta autem secundo modo est semper mortalis, cum charitati erga Deum e regione adversetur.

LIBER VI.

DE SACRAMENTIS.

Cum infirmitati humanae peccatis obnoxiae providerit Deus per Sacramenta, quibus homines vel a peccatorum nexibus solverentur, ut Baptismo, ac Poenitentia; vel adversus peccata praemunirentur per uberes gratias, quae a Deo per Jesum Christum eorum susceptione communicantur; de quibus proinde praedixerat Isaias, quod hausissemus *aquas in gaudio de fontibus Salvatoris* (12.): de Sacramentis proinde sermonem modo instituentes, de iis agendum suscipimus 1.° in genere; postmodum vero de singulis in specie. Sit igitur.

TRACTATUS I.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

CAPUT I.

De natura, numero, atque effectibus Sacramentorum.

1. Et 1.° definitur Sacramentum *signum sensibile, sacrum, permanens interioris gratiae ad nostram sanctificationem divinitus institutum*; vel si agatur de iis Novae legis, *signum sensibile, sacrum, permanens interioris gratiae ad nostram sanctificationem a Christo Domino institutum*. Etiam namque in lege veteri Sacramenta extabant, ut circumcisio, esus Agni Pa-

schalis, variae expiationes, et purificationes, Sacerdotum consecratio, ec.; quae a nostris praecipue distinguebantur, quia non conferebant gratiam *ex opere operato*, ut Novae legis Sacramenta; sed tantum *ex opere operantis*: quod distinctius declarandum est.

2. Sacramentum igitur *ex opere operato* gratiam conferre significat, Sacramentum ipsum, idest applicationem signi ipsius exterioris, per se, tamquam per causam instrumentalem, vim, et efficaciam ex instituto, et meritis Christi habere ad producendam gratiam in suscipiente; disposito tamen, si sit adultus. Ipsum vero gratiam conferre *ex opere operantis* significat, quod ex se non habeat hujusmodi vim, et efficaciam, sed totum fructum, qui a suscipiente percipitur, ejus fidei, ac devotioni sit tribuendum. Porro veteris Legis Sacramenta gratiam non contulisse *ex opere operato*, constat ex verbis Ap. *ad Gal.* 4., ubi veteris legis Sacramenta vocat *infirma et egena elementa*; subjungens ep. *ad Heb.* 10., non potuisse *auferre peccata*; et c. 9. solum valuisse *ad emundationem carnis*, idest ad munditiem legalem conferendam; et c. 7. fuisse reprobata ob eorum *inutilitatem*. Non ita tamen Sacramenta Novae legis, quae *ex opere operato* gratiam conferre, constat ex Scripturae textibus, qui totam eorum efficaciam ipsi exteriori ritui tribuunt. De Baptismo enim dicitur, quod per illum homo *renascitur ex Spiritu Sancto* (*Jo.* 3.): De Confirmatione, quod Apostoli *imponebant manus super baptizatos, et accipiebant Spiritum Sanctum* (*Act.* 8.). De Eucharistia, quod manducans panem illum Divinum *vivet in aeternum* (*Jo.* 6.). De Poenitentia, quod confert *remissionem peccatorum* (*Jo.* 20.): quod

et dicitur de Extrema unctione *Jac.* 5. Non remittuntur autem peccata, nisi per infusionem gratiae sanctificantis. De Ordine, quod datur gratia *per impositionem manuum* Episcopi (2. *ad Tim.* 1.). De Matrimonio demum expresse quidem non legitur in Scripturis, quod gratiam conferat: sed colligitur tum ex *c.* 2. *ad Eph.*, ubi appellatur *magnum Sacramentum*, tum aliunde, ut suo loco videbitur.

3. Quod autem per circumcisionem remittebatur in veteri lege peccatum originale, nihil contra id, quod docuimus, facessit: 1.° quia confundenda non est cum Sacramentis veteris legis, quamvis in ea praecepta fuerit, quippe quae instituta fuit in lege Naturae, et longe ante legem scriptam. 2.° quia principaliter instituta non fuit ad delendum peccatum originale, tum quia Abraham, in quo primum recepta fuit, jam erat justus, ut testatur Ap. *ad Rom. c.* 4.; tum quia remedium peccati debuerat esse commune, cujusmodi non erat circumcisio, utpote quae locum non habebat in foeminis, nec in masculis, qui ante octavum diem vita excedebant: sed ad discernendum populum specialiter a Deo electum, ac genus Abrahae ab aliis Nationibus, ut constat ex ipsis verbis, quibus praecepta fuit: *Hoc est pactum meum, quod observabitis, inter me, et vos, et semen tuum post te. Circumcidetur ex vobis omne masculinum, et circumcidetis carnem praeputii vestri, ut sit in signum foederis inter me, et vos* (*Gen.* 17.). Non igitur in remedium peccati principaliter, et ex se, sed in signum foederis. Hinc donec populus mansit in deserto ab aliis nationibus separatus, nulla fuit circumcisio,

ut constat ex Jos. 5. Hinc etiam Ap. *ad Rom.* 3. quaerens, *quae* fuerit *utilitas circumcisionis? Primum* (inquit) *quia credita sunt illis eloquia Dei.* 3.° demum si per illam, ut non est negandum, remittebatur peccatum originale, id tamen non erat *ex opere operato*, idest ex virtute ipsius Circumcisionis, sed *ex opere operantis*, quia nempe assumebatur, ut protestatio fidei in Messiam venturum; quare ipse Ap. inquit l. c. *Unus est Deus*, *qui justificat circumcisionem ex fide.* Si autem ex fide, ergo *ex opere operantis.* Quod confirmatur, quia absque circumcisione eadem fidei protestatio signo exteriori expressa assumebatur quoque, ut omnes Theologi docent, ante Christi adventum ad delendum peccatum originale et in foemellis, et in infantibus, qui ante octavum diem e vita rapiebantur: utque docent D. Aug. *l.* 2. *de nupt.*, *et conc. c.* 11, et D. Th. *in* 4. *dist.* 1. *q.* 2. *n.* 6. *ad* 2., eadem quoque ratione justificabantur parvuli in statu naturae; nam ex una parte istud remedium in statu quoque naturae extitisse, ex sincera Dei voluntate omnes salvandi indubium fit; ex altera vero, ut D. Petrus docet Act. 6. *Non aliud nomen est sub Coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.*

4. Nec absimili modo gratiam conferebant alia veteris legis Sacramenta; quemadmodum nempe ab ipsius Mundi exordio homo quoque justificabatur per fidem haec sacrificia offerentem; unde habetur *Gen.* 4., quod *respexit Dominus ad Abel*, *et ad munera ejus*; *ad Cain vero*, *et ad munera illius non respexit.* In quae ita Ap. ad Heb. 11. *Fide plurimam hostiam Abel, quam*

Cain obtulit Deo, per quam testimonium consecutus est, esse justum. Utque D. Th. 1. 2. *q.* 103. *a.* 2. explicat: *Pro peccatis offerebantur sacrificia quaedam in veteri lege, non quia ipsa sacrificia a peccato mundarent, sed quia erant quaedam protestatio fidei, quae a peccato mundat.*

5. Hinc quantum Novae legis Sacramenta veteribus praestent, nemo est, qui non videat. Septem autem esse, definiit Trid. *sess.* 7. *can.* 1., ubi: *Si quis dixerit, Novae legis Sacramenta esse plura, vel pauciora, quam septem, videlicet Baptismum, etc., anathema sit.* Licet namque hic septenarius numerus non reperiatur in Scripturis, sicut nec binarius, nec ternarius haereticorum, nonnisi septem sunt tamen, ut singillatim de quovis Sacramento videbitur, quibus Sacramenti definitio convenit. Quod confirmatur ex congruentia, quam de isto septenario numero affert Flor. *in Decr. unionis cum Armenis*, ubi: *Nam vita spiritualis perinde ac corporalis septem indiget: 1.° ut fideles generentur; et hoc praestat Baptismus: 2.° ut augeantur, et roborentur; et hoc dat Confirmatio: 3.° ut alantur; et hoc praestat Eucharistia: 4.° ut sanentur, si sint aegroti; et hoc tribuit Poenitentia: 5.° ut peccatorum reliquiae tollantur, et animi virtutes recreentur; et ad id est Extrema unctio: 6.° ut Ministri Ecclesiae formentur; et hoc praestat Sacra ordinatio: 7.° ut filii ad Dei cultum, et humani generis conservationem procreentur, et religiose educentur; et hoc dat Matrimonium.* Objicitur quidem ab Haereticis lotio pedum, tamquam unum ex Sacramentis a Christo institutum. Sed perperam, tum quia

non fuit stabiliter instituta, ut constat ex Traditione Ecclesiae, quae est optima Scripturarum interpres, et quae eam retinuisset, si fuisset praecepta; tum quia non fuit instituta, ut signum productivum gratiae. Illa enim Christi verba Jo. 13. *Et vos debetis alter alterius lavare pedes*, probe intelliguntur a DD. pro praecepto humilitatis, et charitatis fraternae, quae per lotionem illam fuerunt significatae. Illa vero ejusdem Christi ad Petrum l. c. *Nisi lavero te, non habebis partem mecum*, probe etiam a DD. intelliguntur, quod nisi Christo obediisset, fuisset contumax, ideoque aeterna haereditate indignus.

6. Porro septem illa Sacramenta distinguuntur in ea, quae dicuntur *mortuorum*, propterea quod instituta ad primam gratiam conferendam, ideoque ab ipsis peccatoribus suscipi possunt, et jam justificatis gratiae augumentum afferunt; suntque Baptismus, et Poenitentia: et ea, quae *vivorum* dicuntur, propterea quod instituta ad conferendum gratiae augumentum, ideoque non possunt suscipi, nisi ab existentibus in gratia; suntque alia quinque. Et haec tamen per accidens posse aliquando primam gratiam conferre, docet prae aliis Lig. n. 6., *scilicet cum quis putans non esse in statu peccati mortalis, vel existimans se contritum, accedit cum attritione ad Sacramentum*: quod probatur 1.° ex illis Trid. verbis *sess. 7. can.* 6., quod omnia Sacramenta conferunt *gratiam non ponentibus obicem*. Qui autem invincibiliter ignorans peccatum ad Sacramentum vivorum, praemisso supernaturali de peccatis dolore, accedit, non ponit obicem gratiae; 2.° ex eodem *Trid. sess.* 13. *can.* 5. ubi ait:

Si quis dixerit, praecipuum fructum SS. Eucharistiae esse remissionem peccatorum, anathema sit. Ad quid autem illud *praecipuum*, si peccati mortalis remissio numquam esset Sacramenti effectus per accidens? Aliquando igitur per accidens remissionem hujusmodi operari, consequens est: 3.° ex D. Th. 3. *p. q.* 79. *a.* 4., ubi haec habet de eodem Sacramento Eucharistiae: *Potest tamen hoc Sacramentum operari remissionem peccati etiam perceptum ab eo, qui est in peccato mortali, cujus conscientiam, et affectum non habet. Forte enim primo non fuit sufficienter contritus, sed devote, et reverenter accedens, consequetur per hoc Sacramentum gratiam charitatis, quae contritionem perficiet, et remissionem peccati.* Idemque confirmat *in* 4. *dist.* 23. *q.* 1. *a.* 2. Adversarii id negantes afferunt similitudinem mortui; cui cibus materialis prodesse non potest. Sacramentum autem Eucharistiae rationem habet cibi spiritualis: ergo. Negatur autem paritas: siquidem corporaliter mortui nullum vitae actum valent elicere: spiritualiter vero mortui aliquem vitae actum, puta attritionem, ex impulsu Spiritus Sancti concipere possunt.

7. Quibus praemissis: tres numerantur, suntque Sacramentorum effectus, quorum duo primi sunt omnium Sacramentorum; postremus vero Baptismi tantum, Confirmationis, et Ordinis; videlicet 1. infusio gratiae sanctificantis, eaque prima, si Sacramentum sit *mortuorum*, ejus vero augumentum, si sit *vivorum*. 2. gratia Sacramentalis. 3. character indelebilis. Et quoad 1.^{m}, quod omnia Sacramenta gratiam sanctificantem conferant, patet tum ex definitione Sacramenti n. 1, tum ex dictis n. 2., tum demum ex definitione Trid.

sess. 7. *can.* 6, ubi: *Si quis dixerit, Sacramenta Novae legis gratiam non ponentibus obicem non conferre, anathema sit.* Gratiae autem infusionem, ut idem Trid. docuit *sess.* 6. *c.* 7, comitatur quoque virtutum omnium infusio, vel augumentum; ait namque Conc., justificari hominem *per susceptionem gratiae, et donorum, secundum propriam cujuscumque dispositionem, et cooperationem.* Quoad 2.m, confert quodvis Sacramentum aliam quoque gratiam, quae Sacramentalis dicitur, et definitur: *Jus fundatum in gratia sanctificante per Sacramentum collata ad accipienda opportuno tempore certa auxilia, idest gratias actuales, quibus homo obtinere possit Sacramenti finem*; ex quo sequitur, quod qui post susceptum Sacramentum labitur in mortale, amittit jus hujusmodi, utpote in gratia sanctificante fundatum: sicut etiam, quod talis gratia est effectus ita proprius cujusvis Sacramenti, ut alteri non conveniat. Probatur autem, quodvis Sacramentum hanc quoque gratiam conferre, quia secus frustra tot Sacramenta fuissent instituta, omnia siquidem eumdem effectum haberent, ad quem unum illorum satis fuisset. Quoad 3.m, definitur character, quem, ut diximus, imprimit tantum Baptismus, Confirmatio, et Ordo, *signum quoddam spirituale, et indelebile in anima impressum, et ab ipso Sacramento distinctum*; ut colligitur ex def. Trid. *sess.* 7. *can.* 9, ubi: *Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, et Ordine non imprimi characterem in anima, idest signum quoddam spirituale, et indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit.* Et sane ob quam causam et Baptismus, et Confirmatio, et

Ordo iterari nequeunt, nisi quia censentur remanere? Non remanent autem quoad se, utpote actio transiens; nec etiam semper quoad gratiam, quae per peccatum mortale statim amittitur: superest ergo ut remaneant quoad characterem. Porro, quia *imprimitur in anima*, dici debet aliquid reale in anima intrinsecus positum. Quia vero *signum indelebile*, debet quoque esse quid distinctum ab ipso Sacramento, quod est actio transiens.

8. Gravis modo hic quaestio exurgit, an Sacramenta, cum propter obicem oppositum gratiam non contulerint, illam deinde conferant, sublato obice, ita ut Sacramentum quasi reviviscat. Intelligitur porro per obicem vel *conscientia peccati mortalis, cum quo suscipiatur Sacramentum aliquod vivorum*, vel *defectus debitae dispositionis*. Quo posito, dicimus, Sacramenta characterem imprimentia, sublato per poenitentiam obice, gratiam conferre. Et quidem de Baptismo expresse id docet D. Aug. c. 24. *de consecr.*, ubi: *Tunc valere ad salutem incipit Baptismus, cum illa fictio veraci confessione recesserit, quae corde in malitia, vel sacrilegio perseverante, peccatorum abolitionem non sinebat fieri.* Et sane, nisi ita esset, qui rite, sed ficte, idest cum obice, recepisset Baptismum, quomodo amplius justificari posset, cum de fide sit, peccatum originale non posse, nisi per Baptismum, vel per ejus votum deleri? Baptismum autem non posset amplius recipere, utpote Sacramentum, quod nequit reiterari: ejus vero votum neque etiam habere posset, cum nemo desiderare possit, quod amplius nequit recipere: Non igitur posset amplius justificari; quod quis dixerit? Hinc etiam valide con-

firmatus, vel ordinatus, sed cum obice, quia haec quoque Sacramenta non sunt reiterabilia, gratiam Sacramentalem ad assequendum illorum finem obtinere numquam posset, si remoto per poenitentiam obice, Sacramentum non revivisceret. Quod cum parum consentaneum Dei benignitati videatur, ut ait Lig. n. 87., et ipsa etiam, sublato obice, reviviscere, consequens est. Haec autem reviviscentia evenit directe virtute characteris in anima impressi; indirecte per poenitentiam quae obicem removet, per quem Sacramenti prohibebatur effectus: ex quo sequitur, quod Sacramenta, characterem non imprimentia, si cum obice suscipiantur, remoto per poenitentiam obice, non reviviscunt; quia nempe nullatenus subsistunt, neque in se, ut patet, neque in charactere, quem non imprimunt. Ex allata tamen ratione non reprobat Lig. *l. c.* sententiam Suaresii, etc., quod idem, ac de Baptismo, dicendum quoque est de Extrema unctione, ac de Matrimonio, nam nec illud in eadem infirmitate, nec istud, vivente conjuge, reiterari potest.

Caput II.

De requisitis ad valorem Sacramentorum ex parte Ministrantium.

9. Omnia Sacramenta, ex Flor. in Decr. unionis cum Armenis, *tribus perficiuntur, rebus, tamquam materia; verbis, tamquam forma; et persona Ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia: quorum si aliquod desit, non perfici-*

tur Sacramentum. Dicitur autem *perficiuntur*, non vero *constant*, quia Minister, ejusque intentio non ingrediuntur compositionem Sacramentorum, sed sunt quid Sacramento extrinsecum, ac solum spectant ad ejus causam efficientem. Duobus tamen constant, *rebus*, *tamquam materia*, *et verbis*, *tamquam forma.* Quod probatur ex Scripturis, ubi de Baptismo habetur ad Eph. 5.: *Mundans lavacro aquae in verbo vitae.* De Conf. Act. 8. *Oraverunt pro illis, ut acciperent Spiritum Sanctum. Tunc imponebant manus super illos.* De Euch. Matth. 26. *Accepit Jesus panem, et ait: Hoc est corpus meum.* De Extrema unct. Jac. 5. *Orent super eum, ungentes eum oleo.* Definitur autem materia cujusvis Sacramenti *id*, *circa quod Ministri actio versatur*: estque duplex, *remota*, et *proxima.* Remota est *Sacramenti materia extra ipsius confectionem.* Proxima est *Sacramenti materia in ipsius confectione.* Eaque in aliquibus Sacramentis, ut in Baptismo, et Eucharistia, ut ad Sacramentum sit apta, benedicenda non est, quia per Christi usum, ut ait D. Th., accepit aptitudinem ad perfectionem Sacramenti. At Confirmationis, et Extremae unctionis materia benedicenda est ab Episcopo, quia enim Christus unctionibus illis visibilibus numquam usus fuit, benedictio Episcopi, qui Christum perfectissime repraesentat ob Sacerdotii plenitudinem, necessario requiritur, ut materia ad Sacramentum idonea efficiatur. Forma vero definitur *illud omne*, *quod materiam determinat ad esse Sacramenti*: eaque in remotam quoque, et proximam distinguitur, *extra confectionem scilicet*, vel *in confectione Sacramenti.* Ait au-

tem Flor. in relato Decr., eam consistere in verbis, quia illud ut plurimum fit verbis prolatis cum debita intentione, dum materia adhibetur. Non tamen necessario consistit in verbis quoad omnia Sacramenta, quia etiam nutus, literae, et similia verborum vicem gerere possunt in Matrimonio, ut suo loco dicetur.

10. Quibus praemissis: an materia, et forma omnium Sacramentorum fuerit a Christo non solum in genere, sed etiam in specie instituta, acriter inter Theologos disputatur. Eas nempe determinasse in genere significat *ita tantum determinasse, ut talem Ecclesia materiam, ac formam adhiberet, quibus significaretur Sacramenti effectus.* In specie vero, *ut Ecclesia hanc, et non aliam adhiberet materiam, et formam, imposita lege iis semper utendi.* Qua super re certum 1.° est, immo de fide, ipsum saltem in genere omnium Sacramentorum materiam, et formam instituisse: fide enim constat, ipsum fuisse omnium Sacramentorum auctorem, utpote solus gratiae collator, et auctor: quare definiit Trid. sess. 7. can. 1. *Si quis dixerit, Sacramenta novae legis non fuisse omnia a J. C. Domino nostro instituta, anathema sit.* Non est autem Sacramentum, nisi positio materiae, et formae facta a ministro cum intentione faciendi quod facit Ecclesia: Eorum igitur materiam, et formam saltem in genere instituisse, consequens est, 2.° fide etiam est certum, expressumque in Scripturis, materiam, et formam Baptismi, Euchar., et Poenit., non solum in genere, sed etiam in specie determinasse: quoad Baptismum namque, quod determinaverit aquam pro materia, constat *ex c. 3. Jo.*, invocationem vero Tri-

nitatis pro forma, *ex c. ult. Matth.* Quoad Eucharistiam, quod determinaverit panem triticeum, et vinum vitis pro materia, et *hoc est etc. hic est calix etc.* pro forma, constat *ex c.* 26. *Matth.*, *et* 14. *Marci.* Quoad Poenitentiam denique idem habetur *ex c.* 20. *Jo.*

11. Aliorum vero Sacramentorum probabile est ex Lig. l. 6. n. 12, quod tantum in genere eas determinaverit, quemadmodum prae aliis docent Magister Sent., Alex. de Ales., et S. Bonav. ex veteribus, et ex recentioribus Bell., Hallerius, Morinus, etc. Si enim, inquiunt, in specie eas determinasset, eadem esset modò, ac primis Ecclesiae saeculis omnium Sacramentorum materia, et forma; quae enim sunt juris Divini Ecclesia variare non potest. Non est autem eadem nunc, quae olim, quoad aliqua Sacramenta; Apostolorum enim tempore nuda manuum impositio erat materia Confirmationis; ac septem prioribus saeculis manuum impositio, non vero instrumentorum porrectio erat materia Ordinis, quippe quod hujusmodi instrumentorum porrectionis nullum reperire est vestigium in libris, qui iis saeculis de Sacramentis egerunt: ergo etc. Porro si materiam in genere, ergo et formam, utpote quae pronuntiatur cum adhibetur materia, et qua accedente ad materiam, fit Sacramentum. Addunt, nec etiam nunc esse, quae ante Trid., materiam Sacramenti Matrimonii, quam Concilium mutavit, declarando irritum matrimonium clandestinum: ex quo magis confirmatur, materiam, ideoque et formam aliquorum Sacramentorum Christum non in specie, sed in genere tantum determinasse.

12. Probabilius tamen, subdit idem Lig., docent

alii, et prae aliis D. Th., omnium prorsus Sacramentorum materiam, et formam non solum in genere, sed etiam in specie Christum determinasse: *Quia enim* (ut D. Th. disserit) *sanctificatio hominis est in potestate Dei sanctificantis, non pertinet ad hominem suo judicio assumere res, quibus sanctificetur, sed hoc debet esse ex Divina institutione determinatum. Et ideo in Sacramentis Novae Legis, quibus homines sanctificantur, secundum illud 1. ad Cor. 6: Abluti estis, sanctificati estis; oportet uti rebus ex Divina institutione determinatis* (3. *p. q.* 60. *n.* 5.). Nec S. D. explicari potest de determinatione in genere, quae potuerit per diversa signa significari, subdit enim: *Et si idem potest per diversa signa significari* (en qualis fuisset determinatio in genere), *determinare tamen, quo signo sit utendum* (en determinatio in specie) *pertinet ad significantem; Deus autem est, qui nobis significat spiritualia* (*ibid. ad* 1.). Accedit, quod si eas Ecclesiae reliquisset in specie determinandas, posset quoque Ecclesia eas mutare, quoties id sibi aequum videretur, materiamque, et formam, quae olim irrita fuit, hodie validam facere, immo et essentialem. Declaravit autem Trid. sess. 21. c. 2, *hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione ea statueret, vel mutaret, quae magis expedire judicaret, salva illorum substantia,* ad quam procul dubio pertinet eorum materia, et forma: ergo. Hinc ut sapienter advertit Ben. XIV. *l.* 7. *de Syn. c.* 2. *n.* 10, nedum deest, unde sufficienter probetur, quod Christus hanc potestatem ab adversariis suppositam tradiderit Ecclesiae, quin immo oppositum ex cit. Trid. loco manifeste evincitur.

13. Ad rationes autem ab Adversariis allatas, negatur 1.°, quod Apóstolorum tempore nuda manuum impositio erat materia Confirmationis; et Apostolos namque Chrismate usos fuisse ordinarie in collatione hujus Sacramenti, licet ex singulari Christi privilegio sola manuum impositione Sacramentum hoc extraordinarie aliquando administraverint, docet D. Th. 3. *p. q.* 72. *a.* 2., *et* 4. De Chrismatis certe unctione etiam antiquiores Patres mentionem faciunt; ut D. Dionysius, qui ita loquitur: *Consummans unctio, quae Divini Spiritus illapsum elargitur* (*De Eccl. Hier. c.* 4.): Tertullianus: *Unctio, qua caro ungitur, ut anima consacretur* (*l.* 2. *de Bapt. c.* 7.). D. Cyprianus: *Ungi quoque necesse est, ut accepto chrismate, habere in se gratiam Christi possit* (*ep. ad Numidas.* Immo et ipsae Scripturae; ut 2. ad Cor.: *Qui unxit nos Deus et signavit nos* (1.). Et ad Eph.: *Nolite contristare Spiritum Sanctum, in quo signati estis* (4.). Et 2. Jo.: *Unctionem, quam accepistis ab eo, maneat in vobis* (2.). Negatur 2.°, quod modo instrumentorum porrectio, non vero manuum impositio, ut olim, sit materia Sacramenti Ordinis: dicimus enim cum Lig. l. 6. n. 12., traditionem instrumentorum non esse ejus materiam essentialem, sed tantum accidentalem, etsi integralem. Quod si Flor. in relato Decr. loquitur de porrectione instrumentorum, tamquam de Ordinis materia, resp. 1.°, quod non determinavit materiam essentialem Sacramenti Ordinis, sed solum voluit Armenos instruere de omni ritu Ecclesiae Romanae, cujus unionem illi ambiebant, meminitque solius porrectionis instrumen-

torum, utpote rei Armenis ignotae; non vero impositionis manuum, tum quia rei, quae Armenis nota erat, tum quia eos simul remittit ad Pontificale Rom., in quo expressa mentio fit impositionis manuum in Sacris ordinationibus perficiendis. 2.° quod eamdem quoque assignat pro materia ordinum minorum, quos tamen non esse Sacramenta, longe probabilius est apud DD., ac suo loco demonstrabimus. Negatur 3.°, ex eo quod Trid. declaraverit irritum Matr. clandestinum, sequi, eamdem modo non esse, quae ante Trid., materiam Sacramenti Matrimonii: cum enim Matrimonii Sacramentum sit ipse contractus Matrimonii ad dignitatem Sacramenti a Christo evectus, tunc Ecclesia mutasset ejus materiam, si effecisset, ut contractus validus non fuisset sufficiens ad rationem Sacramenti. Id autem non effecit, sed tantum statuit, quod absque praesentia Parochi, et testium contractus non fuisset validus. Utque idem diversimode dicamus; quia Ecclesia nihil potest in substantiam Sacramentorum, ideoque eorum nec materiam, nec formam mutare potest, hinc nequit efficere, ut contractus validus non sit sufficiens ad rationem Sacramenti Matrimonii: potest tamen certas conditiones contractui apponere, quae si desint, contractus sit invalidus, nec proinde ad rationem hujus Sacramenti sufficiens.

14. Quibus perpensis, nemo non videt, quam longe probabilius sit, Christum omnium Sacramentorum materiam, et formam non solum in genere, sed etiam in specie determinasse. Quod si nullibi Scripturarum expresse id habemus quoad aliqua Sacramenta, expres-

se tamen legimus Act. 1., quod post suam Resurrectionem per dies 40. discipulis apparens; *loquebatur eis de Regno Dei*, idest de Ecclesia aedificanda, et administranda, ad quod et fides, et administratio Sacramentorum pertinent; sicut etiam *Jo.* c. *ult.*, quod *non omnia, quae fecit* Jesus, *scripta sunt*. Praecise autem de illis 40. diebus ait D. Leo in serm. de Ascens.: *Hi enim dies, qui inter Resurrectionem Domini, Ascensionemque fluxerunt, non otioso transierunt decursu, sed magna in eis confirmata sunt Sacramenta, magna revelata Mysteria.* Sive autem omnium Sacramentorum in specie, sive aliquorum tantum in genere materiam, ac formam Christus determinaverit, certum tamen apud omnes est, quod mutatio substantialis materiae, vel formae irritum redderet Sacramentum; accidentalis vero tantum illicitum. Porro illa dicitur substantialis mutatio materiae, *quae hanc secundum communem aestimationem reddit alteram ab ea, quam Christus instituit.* Illa vero formae, *quae sensum mutat primaevae suae institutionis.*

15. Ex eo autem, quod diximus n. 9., materiam, et formam esse partes, ex quibus Sacramentum constat, sequitur, quod ut Sacramentum sit validum, talis inter utramque conjunctio esse debet, ut in prudenti hominum aestimatione verba censeantur cadere super materiam, et cum ea unum quid constituere. Hinc pro Sacramentorum varietate varia etiam inter utramque requiritur conjunctio; in Eucharistia enim requiritur simultas physica, cum pronomen *Hoc*, et *Hic* veram significationem non habeant, nisi materia sit praesens. In Poenitentia sufficit illa unio, quam exi-

git actus judicialis, in quo bene intercedere solet aliqua temporis distantia inter accusationem, et sententiam, quamvis in hoc Sacramento tanta esse non debeat distantia, quanta in judicio forensi. In Matrimonio sufficit illa distantia, quae ordinarie sufficit in contractibus, ubi satis est, ut consensus unius ponatur, dum adhuc consensus alterius moraliter perseverat. Atque hactenus dicta videntur accepta esse apud omnes. In aliis vero Sacramentis, videtur quoque moraliter certum, spectata ratione, ut scribit Lig. n. 9., sufficere simultatem moralem, quia in composito morali, quale est Sacramentum, satis quoque esse debet simultas moralis: atque hinc sat esse ad valorem Sacramenti, sive post positionem materiae immediate proferatur forma, sive post prolationem formae immediate ponatur materia, nemo enim est, qui non videat, veraciter juxta communem loquendi usum formam proferre, qui materiam statim post illam applicet, sicut veraciter loqui censetur, qui priusquam bibat, ait, *bibo sanitati tuae*. Et quamvis locutiones illae *baptizo*, *signo etc.* tempus praesens indicent, sua tamen huic tempori est latitudo, quippe quod moraliter dicitur actu fieri, quod vel immediate antea factum sit, vel fiet immediate postea. Ita saue spectata ratione: sed in praxi est consulendum, ut tutius, quod forma proferatur in his quoque Sacramentis, dum applicatur materia, vel saltem antequam desistatur applicari, commune enim est, non esse opus, quod simul incipiant, ac desinant.

16. Ad necessariam intentionem faciendi quod facit Ecclesia gradum modo facientes, est haec *animi*

propositum quidquam sibi facere proponentis: eaque esse potest vel actualis, vel virtualis; vel habitualis, vel interpretativa. Actualis *est praesens, ac deliberata rei efficiendae volitio.* Virtualis *est intentio actualis praecedenter habita, adhuc tamen non praesens, sed tantum permanens in aliquo effectu*: ut Sacerdos, qui ad Altare profectus animo consecrandi, mente postmodum distracta, consecrationis formam quasi mechanice pronunciet. Habitualis *est intentio actualis praecedenter habita, nec praesens tamen, nec permanens in ullo effectu, sed tantum non retractata.* Demum interpretativa *est voluntatis dispositio hoc, vel illud actu volendi, si adverteretur: quae proinde numquam fuit habita, sed tantum haberetur, si homo adverteret.*

17. Quibus positis, quod intentio faciendi, quod facit Ecclesia, sit absolute necessaria ad valorem Sacramenti, probatur 1.° ex Ap. 1. ad Cor. 4. *Sic nos existimet homo, ut Ministros Christi, et dispensatores misteriorum Dei.* Dispensator autem debet agere in nomine principalis: Ergo et Sacramenti minister in nomine Christi. Tunc autem in hujus nomine agit, cum habet intentionem faciendi, quod facit Ecclesia: Ad valorem igitur Sacramenti ministrare illud debet cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia. 2.° ex relato Flor. textu n. 9; cui accessit Trid. *sess.* 7. *can.* 11. anathemate feriens *qui dixerit in ministris, dum Sacramenta conficiunt, et conferunt non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia.* 3.° ex prop. damnata ab Alex. VII. quae ajebat: *Valet Baptismus collatus a Ministro, qui omnem ritum externum, formamque Baptismi observat; intus vero in corde suo*

apud se resolvit, non intendo facere, quod facit Ecclesia. 4.° quia per praedictam intentionem, et non aliter materia, et forma determinantur ad rationem Sacramenti. Nec obstat, quod medicamentum aegroto prodest, tametsi praeter intentionem, etiamque per jocum ei detur: medicamentum namque non consistit, sicut Sacramentum, in actione humana. Nec etiam obstat S. Genesii Martyris exemplum, qui, ut refertur, baptizatus fuit per Mimum, qui in theatro Christianorum Mysteria derisorie repraesentabat: 1.° enim valde dubium est, quomodo baptizatus fuerit, Adone, et Martyrologio Rom. inter se non consentientibus; scribit namque Ado, baptizatum fuisse, vocato Presbytero; Martyrologium Rom. vero silet de modo, quo baptizatus fuit. Ajunt etiam alii, quod cum mimum ageret, et sacra Christianorum mysteria illudendo repraesentaret, subito a Deo conversus, sincero animo suscepit Baptismum, monuitque sodalem suum, a quo baptizabatur, ut sincere, ac serio ageret: ex quo sequitur, quod quantum ex se fuit, Baptismum saltem suscepit in voto, quod satis fuit, ut salutem consequeretur, ac per subsequens Martyrium eam de facto obtineret. 2.° miraculum est, non regula, sed exceptio regulae. 3.° posito etiam ejus baptismo per mimum, dicimus, illum sanctificatum fuisse, non per Baptismum mimice collatum, sed per ejus votum, ut innuimus, ac inde subsequens martyrium.

18. Quemadmodum tamen certum est, necessariam esse ad valorem Sacramenti intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, ita certum est apud omnes, sufficere virtualem, actualis namque, ut D. Th. dixerit, non

est in *hominis potestate, quia praeter intentionem, cum vult multum intendere, incipit alia cogitare* (3. *p. q.* 64. *a.* 8. *ad* 3.); habitualis vero, vel interpretativa sufficere nequeunt, propterea quod nullatenus, nec actu scilicet, nec virtute existunt. Cum autem minister de more ponit actiones ad Sacramentum requisitas, nisi debitam intentionem positive excludat, imprudenter, ut ait Lig. n. 18, de ea dubitat: cum enim exercite cognoscat, illas actiones esse sacras, et poni, non frustra, sed ad certos fines, hinc etiam exercite intendit illas ponere, ut tales, et ad illos fines, quod sufficit. Immo, ut cum Bellarm. advertit, opus non est, ut minister ore, vel corde reflexe dicat, intendere conficere Sacramentum, sed sufficit, ut sit animo praesens, et attente faciat, id quod facit: utque addit Hyac. Stampò, *hujusmodi scrupulosae reflexiones: Intendo hoc facere, potius, ut notant DD., devotionem impediunt, animumque perturbant.* Addit Abelly, absque explicita, et formali intentione faciendi quod Christus instituit, vel quod facit Ecclesia, sufficere, ut minister apud se velit hic, et nunc fungi officio suo, vel id facere, quod solent alii Sacerdotes, et **quod fidelis ab illo petit, scilicet, ut Sacramentaliter** absolvat, etc.; quia haec, et similia aequae includunt intentionem Christi, et Ecclesiae, ut per se liquet. Illis tamen verbis, quod minister *sit animo praesens, et attente faciat id, quod facit*, non vult Lig. significare, quod ad valorem Sacramenti requiratur attentio, quae definitur *praesens animi applicatio ad id, quod agitur*; expresse enim n. 14. reprobat Lacroixii sententiam, tamquam minime probabilem, nec

ab nullo Auctore traditam, quod in Ministro Sacramentorum, praeter intentionem, requiratur etiam attentio, ut valide ea conferat, omnes enim docent, ad valorem Sacramenti, praeter materiam, et formam, nihil aliud requiri, quam intentionem Ministri; ac licet, ut homo humano modo operetur, requiratur, ut ad finem operis, quod intendit facere, attendat, non tamen requiritur, ut cum opus exequitur, actualiter attendat. Accedit, quod si attentio in illis ministrandis ad eorumdem valorem requireretur, deberet haec actu adesse, cum enim attentio sit actus intellectus considerantis id, quod homo agit, sicut proinde dici nequit, quod intellectus virtualiter consideret, quod non considerat, ita nec etiam, quod virtualiter attendat, quando actu non attendit, sed alio est distractus: ex quo sequeretur, quod ad valorem Sacramentorum esset quoque necessaria intentio actualis faciendi, quod facit Ecclesia, nec sufficeret virtualis; quod communiter a DD. rejicitur. Bene tamen verum est, ut idem Lig. advertit, quod Minister voluntarie se distrahens in confectione Sacramenti, juxta omnes peccaret saltem venialiter; immo et ab aliis dubitatur, quin etiam peccet mortaliter, quod probaliter negat Croix, nisi adesset periculum errandi in formis praesertim longioribus; ac si agatur de Eucharistia, difficulter posset a mortali excusari qui voluntarie se distraheret in ejus confectione, quia distractio in tali Sacramento gravis irreverentia erga illud esset.

29. Acris modo quaestio exurgit, an ad valorem Sacramenti sufficiat mera intentio ponendi ritum externum? Valere enim contendunt Catharinus, Serry, Iue-

ninus, aliique, quibus ex recentioribus adhaeret quoque Hyac. Stampò; Sacramentum collatum a Ministro, qui postulatus de Sacramento, serio, ac religiose omnem ritum externum a Christo praescriptum observat, etsi intus dicat: *Nolo Sacramentum conficere*: quinimmo etiam si de Sacramento non postulatus, illud tamen in Ecclesia administret: tum quia intentio Ministri necessario requisita ad valorem Sacramenti est inseparabilis a ritu exteriori serio, ac religiose peracto: tum quia ex Flor., et Trid. non requiritur in Ministro intentio faciendi, quod Ecclesia intendit, sed tantum faciendi, quod facit Ecclesia, ad quod sufficit, ut Minister serio applicet materiae debitam formam, ut facit Ecclesia. Accedit, inquiunt, D. Th., qui 3. *p.* *qu.* 64. *a.* 8. *ad* 2. docet, non debere nos anxios esse de intentione Ministri, semper ac constet, ritum externum fuisse legitime peractum, *quia Minister Sacramenti agit in persona totius Ecclesiae, cujus est Minister. In verbis autem, quae profert, exprimitur intentio Ecclesiae, quae sufficit ad perfectionem Sacramenti, nisi contrarium exterius exprimatur.*

20. Oppositum tamen absolute tenendum, ut Lig. docet n. 23.: si enim Flor., et Trid., praeter materiam, et formam serio, ac religiose ponendam, requirunt insuper in Ministro intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, subjungens Flor., quod *si desit, non perficitur Sacramentum*; si Trid. sess. 14. c. 6. ad valorem Sacramenti Poenitentiae requirit in Ministro animum serio agendi, et vere absolvendi, dicens, poenitentem non esse vere, et coram Deo absolutum,

si Sacerdoti animus serio agendi, et vere absolvendi desit; quae duo aperte distinguens, praeter intentionem igitur serio ponendi ritum externum, requirit insuper ad valorem Sacramenti intentionem vere absolvendi: Si Minister ponens *omnem ritum externum* praeceptum ab Ecclesia, quae profecto illum praecipit serio, ac religiose ponendum; *intus tamen, et in corde suo apud se resolvens: Non intendo facere, quod facit Ecclesia*, non confert valide Sacramentum, ex prop. damnata ab Alex. VII., quae contrarium ajebat: quomodo dicendum valide collatum Sacramentum absque tali intentione, etsi ritus externus fuerit rite, et religiose peractus? Accedit, quod nullitas Sacramenti per jocum collati non aliunde oritur, quam ex defectu debitae intentionis. Hic autem defectus toties occurrit, quoties Minister ritum externum observando, etsi serio, intus vero non intendit facere, quod facit Ecclesia: Aeque igitur de illius nullitate judicandum.

21. Respondetur autem Adversariorum momentis, quod si intentio faciendi, quod facit Ecclesia esset inseparabilis a ritu exteriori rite, ac religioso peracto, vel ad id sufficeret, ut Minister serio applicet materiae debitam formam, frustra Flor., et Trid., praeter materiam, et formam, requisivissent intentionem Ministri faciendi, quod facit Ecclesia, ut consideranti patet. Verba autem D. Th. intelligenda sunt hoc sensu, quod modo ritus exterior Sacramenti fuerit rite peractus, nec illius Minister, nec illud suscipiens anxius esse debet, an adfuerit intentio necessaria, ait enim a. 10. in corp. *Intentio Ministri*

potest perverti dupliciter. Uno modo respectu ipsius Sacramenti, puta cum aliquis non intendit Sacramentum conferre, sed derisorie aliquid agere; et talis perversitas tollit veritatem Sacramenti, praecipue quando suam intentionem exterius manifestat. Ubi notandum illud *praecipue*. Ergo etiam quando occulte, et intus in corde sistente derisione illud pervertit. Quod magis, magisque confirmatur ex opusc. 8., ubi haec habet: *Requiritur etiam in quolibet Sacramento persona Ministri conferentis Sacramentum cum intentione conferendi, et faciendi, quod facit Ecclesia: quorum trium si aliquid desit, idest si non sit debita forma verborum, et si Minister Sacramenti non intendat Sacramentum conferre, non perficitur Sacramentum.* Non est denique omittendum cum Lig. n. 23, quod licet sententia opposita esset probabilis, nulli tamen dubium, ut ait Summ. Ben. XIV. *l.* 7. *de Syn. n.* 9., eam non posse in praxim deduci ex prop. damnata ab Innoc. XI., quod *non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore.*

22. Quod demum ad valorem Sacramenti nec fides, nec probitas in ministrantibus requiratur, de fide est, ut definiit Trid. *sess.* 7, *can.* 4. ubi: *Si quis dixerit, baptismum, qui datur ab Haereticis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, non esse verum, anathema sit.* Non fides; quod quidem, ut D. Aug. ait, non probatur efficaciter ex Scripturis, sed S. Stephanus Papa ex Traditione invicte asseruit adversus S. Cyprianum, et Firmilianum, aliosque: *Ni-*

hil (iis inquiens) *innovetur*, *praeterquamquod traditum est.* Non probitas, quia Sacramenta gratiam conferunt, ut diximus n. 1., et 2., *ex opere operato*, ideoque independenter ab usu, et dispositionibus ministrantium. Addit D. Th. 3. p. q. 64. a. 9. ad 1. *Non obstante infidelitate, potest Minister intendere facere quod facit Ecclesia, licet existimet id nihil esse; et talis intentio sufficit ad Sacramentum, quia, ut supra dictum est, Minister Sacramenti agit in persona totius Ecclesiae, cujus fide suppletur id, quod deest fidei Ministri.* Hinc, quia nempe in Ministro non requiritur fides, admissus semper fuit ab Ecclesia Baptismus a Judaeo; vel Pagano forma legitima datus, etiamsi illum esse Sacramentum ignorent, vel negent: sicut etiam Baptismus collatus a Pagano ejus effectum ignorante, atque ab Haeretico negante gratiam per illum conferri, ut definitum est in variis Conciliis, Rothomagensi ann. 1581., Rhemensi ann. 1583., Aquensi ann. 1585. Hinc admissus quoque fuit ab Ecclesia Baptismus ab Arianis in forma consueta datus, quamvis interius de personis SS. Trinitatis perverse sentirent: quia nempe, quaecumque sit fides ministrantis Sacramentum, modo materiam, et formam debitam adhibeat, habeatque intentionem faciendi quod facit Ecclesia, nihil deest ad Sacramenti valorem. Nec quidquam facessit tritum illud, quod *nemo dat, quod non habet.* Nec infidelis autem, nec peccator Spiritum Sanctum habet: Neque igitur illum dare potest, nec proinde Sacramentum valide conferre. Ad quod etiam referri potest illud *Eccl. c. 54.*: *Ab immundo quis mundabitur?* Nemo enim dare potest, quod non habet, si agat tam-

quam causa principalis, non vero tamquam causa instrumentalis, haec namque non agit virtute propria, sed virtute causae principis. Porro Minister Sacramenti rationem habet causae instrumentalis, quo Christus utitur ad sanctitatem conferendam: *Ipse enim est, qui baptizat*, ut habetur *Jo. c. 2.*, quod et de aliis Sacramentis dicendum. Advertendum tamen est cum Lig. n. 21. quod ex Sylvio ibi habet: *Si quis tamen nollet facere, quod Ecclesia Romana facit, etiamsi esset vera Christi Ecclesia, Sacramentum non subsisteret, quia revera non haberet intentionem faciendi, quod Christus instituit.* Sicut etiam, quod licet ex Christi institutione defectus pietatis, et fidei veritati Sacramentorum non noceat, ei tamen nocere potest ex Ecclesiae dispositione, quae revera Haereticis, qui nominatim denunciati fuerint, ex dictis l. 2. n. 23., et Excommunicatis non toleratis jurisdictionem abstulit extra casum necessitatis ad ministrandum Sacram. Poenitentiae, quod proinde, utpote institutum ad modum judicii, ad quod exercendum jurisdictio imprimis est necessaria, irritum est ab iis collatum.

CAPUT III.

De requisitis ad valorem Sacramentorum ex parte suscipientium.

23. Et 1.° hac super re praenotandum est, susceptionem Baptismi omnino praeexigi ad validam aliorum Sacramentorum susceptionem, non enim Sacramenta instituta sunt, nisi pro sola Ecclesia, de cujus cor-

pore homines fiunt per solum Baptismum, prout diximus l. 1. n. 94. Distinguendi postmodum sunt infantes ab adultis. Si enim agatur de infantibus, valide et baptizantur, et confirmantur, et ordinantur, etsi incapaces ullius intentionis Sacramentum suscipiendi. Quoad Baptismum enim, de fide id definiit Trid. *sess.* 7. *can.* 13., et probatur quoque ex illis Christi verbis Matth. 19. *Sinite parvulos venire ad me, talium est enim Regnum Coelorum.* Id autem dicere non potuisset, nisi essent in statu suscipiendi Baptismum, et possent baptizari, cum nonnisi per Baptismum ingredi possint in Regnum Coelorum. Objicitur quod Christus ait Marc. ult. *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos etc.*, ex quo sequitur, baptizandos prius edocendos esse, et dein posse baptizari. Parvuli autem non possunt edoceri: Nec igitur baptizari possunt. Respondetur tamen cum D. Aug., quod Traditio, quam ipsi Pelagiani non negabant, ut S. D. testatur, verba illa intellexit semper de solis adultis, quare ita S. D.: *Parvulos baptizandos esse concedunt* (Pelagiani) *, qui contra auctoritatem universae Ecclesiae proculdubio per Dominum, et Apostolos traditam venire non possunt.* Accedit, quod si infantes non possent baptizari, essent deterioris conditionis infantibus Judaeorum, quibus proderat circumcisio ad delendum illis originale peccatum. Ratio autem videtur esse, quia cum peccatum originale, quo inquinantur, non fuerit ab iis voluntate personali contractum, nec etiam ad illud delendum per Baptismum requirenda erat intentio personalis: quodque si protoparentis voluntas iis nocuit, cum non-

dú in usum haberent propriae voluntatis, conveniens quoque erat, tum copiosam Redemptionem secundi Adae, tum pietatem, et sollicitudinem Sanctae Matris Ecclesiae iis prodesse etiam non cooperantibus. Quod autem dicitur de infantibus, dicendum quoque est de perpetuo amentibus: et quod de Baptismo, idem quoque, ut innuimus, de Sacramento Confirmationis, ac de ipso Sacramento Ordinis infantibus, sive perpetuo amentibus collato, quemadmodum, ut Lig. advertit n. 80., hodie certum est ex Bulla *Inter sollicitas* Bened. XIV. edita 4. Maji ann. 1745.; ubi postquam in §. 20. id declaratur definitum communi suffragio Theologorum, et Canonistarum, deinde §. 27. declaratur 1.°, quod ob Ordinem Sacrum in infantia susceptum non tenetur sic ordinatus ad castitatem, cum ad annos discretionis pervenerit. 2.° praecipitur, ut in anno 18. detur illi optio: et si voluerit castitatem servare, admittatur ad exercitium Ordinis; secus si noluerit. 3.° quod post ratificationem invalide contrahit Matrimonium, et tenetur ad Officium Divinum. Affert autem rationem D. Th. q. 39. a. 2., cur Ordo collatus infanti esset validus: *Quia Sacramenta* (ait) *quae non in actu, sed in potestate consistunt, conferri possunt ante ullum suscipientis actum.* Hactenus de infantibus.

24. Si vero agatur de adultis, certum quoque est, quod, Poenitentia excepta, non magis in aliis Sacramentis necessaria videtur in suscipientibus fides, quam in ministrantibus. In his autem non est necessaria ex n. 22. Nec igitur in suscipientibus. Hinc D. Aug. l. 3. de Bapt. c. 14. *Fieri potest, ut homo integrum ha-*

beat Sacramentum, *et perversam fidem*. Excepta, diximus, Poenitentia, utpote cujus materia sunt actus poenitentis. Certe tamen in adultis, qui sint, vel aliquando fuerint sui compotes, qui enim fuerit semper impos parvulis aequatur, requiritur intentio suscipiendi Sacramentum: quod probatur 1.° ex Inn. III. c. 3. de Bapt., ubi: *Ille, qui numquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem, nec characterem suscipit Sacramenti*. 2.° quia suavis Dei Providentia sicut non salvat, nec justificat adultum ita nec illum consecrat per Sacramenta, sine ejus consensu. 3.° quia ex dictis l. 4. n. 26., et 28., nihil adultis ad salutem prodesse potest, nisi sit actus libere elicitus. Quibus rationibus exsufflatur etiam sententia Cajetani, quod nempe sufficiat intentio neutralis in eo consistens, quod suscipiens nec consentiat, nec dissentiat, sed negative se habeat.

25. Quibus praemissis, si agatur de Sacramento Poenitentiae, et Matrimonii, requiritur in adultis ad eorum validam susceptionem intentio vel actualis, vel saltem virtualis: in Sacramento enim Poenitentiae requiruntur pro ejus materia, ut diximus, actus poenitentis, qui haberi nequeunt sine voluntate saltem virtuali suscipiendi Sacramentum. Quoad Matrimonium vero, cum uterque conjux, ut suo loco demonstrabimus, sit Sacramenti Minister, hinc ut in Ministris aliorum Sacramentorum, ita in iis debet quoque adesse intentio saltem virtualis illud suscipiendi. Nec dicatur, quod cum Matrimonium celebratur per Procuratorem, si dum Matrimonium celebratur, principalis dormiat, perficitur Matrimonium cum intentio-

ne principalis, quae non aliter, quam habitualis dici potest. Verius namque intentio hujusmodi dicenda est virtualis, quam habitualis, cum Procurator contrahat virtute mandati, sive consensus a principali praestiti. Si vero agatur de Sacramento Baptismi, et Ordinis, satis est in adultis ad eorum validam susceptionem intentio habitualis: ex parte enim suscipientis intentio Sacramentum suscipiendi requiritur, non ut principium efficiens ipsius Sacramenti, sed tantum, ut conditio, per quam suscipiens intelligatur non repugnare Sacramento. Ut autem suscipiens intelligatur non repugnare Sacramento, sufficit, quod semel habita ab eo fuerit intentio illud suscipiendi, quodque eam dumtaxat non revocaverit; eaque est intentio habitualis: patet ergo propositum. Accedit, quod ad validam susceptionem Sacramenti non requiritur aliud ex parte suscipientis, nisi tantum, quod sit subjectum capax operationis Sacramentalis. Hujusmodi autem est, qui jam prius habuit intentionem suscipiendi Sacramentum: ergo. Quod demum confirmatur auctoritate Inn. III. in c. *Majores §. Verum de Bapt.*, ubi cum dixerit, dormientes, et amentes non recipere Sacramentum, si contrariam habuerint voluntatem, addit: *Secus si habuissent propositum baptizandi; tunc enim characterem Sacramentalis imprimit operatio.* Nec non auctoritate D. Th. *in 4. dist.* 6. *q.* 1. *a.* 2. *ad* 7., ubi: *Si autem necessitas non sit, debet in furiosis expectari lucidum intervallum, vel in dormientibus vigilia. Si tamen baptizatur in statu illo, Sacramentum suscipit, quamvis peccet baptizans.*

26. Si demum agatur de Sacramento Extremae unctionis, Confirmationis, et Eucharistiae, sufficit ad eorum validam susceptionem intentio etiam interpretativa. Et quidem quoad Sacramentum Extremae unctionis, probatur ex Rit. Rom., ubi de hoc Sacram. dicitur: *Hoc Sacramentum est praebendum sensibus destitutis, qui antea illud petierunt, seu verosimiliter petiissent.* Immo addit Lig. n. 82., quod etiam si aeger fuerit sensibus destitutus in statu peccati mortalis, probabiliter ministrandum quoque illi est, saltem sub conditione, hoc Sacramentum, prout etiam Sacramentum Poenitentiae, ut suo loco dicetur.

CAPUT IV.

De requisitis ad licitam administrationem, et susceptionem Sacramentorum.

27. Et 1.° ad licitam Sacramentorum administrationem, quod et dicendum de eorum confectione, requiritur status gratiae; omnibusque fatentibus, absque eo mortaliter peccat, qui id faciat, tamquam Minister ad id ordinatus. Ratio autem est 1.°, *quia non decet* (ut ait Trid. sess. 13. c. 3.) *ad sacras ullas functiones quemplam accedere, nisi sancte*: nilque sacratius Sacramentis, utpote sanctitatem *ex opere operato* conferentibus: 2.°, quia cum Christus sit Minister primarius Sacramentorum, cujus nomine Sacramenta administrantur, unde dicitur Jo. 2. *Ipse est, qui baptizat*: hinc sicut Christo inferiores Ministri per cooperationem suam conjunguntur, sic et ipsi per

sanctitatem conformare se debent, juxta illud Lev. 19.: *Sancti estote, quia ego Sanctus sum*; idque negligentes, gravem illi injuriam irrogare, nemo est, qui non videat. 3.° quia majori culpa se implicant, qui Novae Legis Sacramenta in statu peccati lethalis ministrant, quam olim Ministri Aaronici legalia in illo statu obeuntes, quanto enim sanctiora legalibus illis sunt Sacramenta Novae Legis? Ministri autem Aaronici, ut habetur c. 22. *Lev.*, accedentes cum immunditia, etsi legali, ad ea quae consecrata erant, et Deo oblata, *peribant coram Domino*; et *Ex* c. 19. dicitur: *Sacerdotes, qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, ne percutiat eos*; nec poena mortis infligebatur, nisi ob peccatum mortale: ergo ec.

28. Gravis proinde sacrilegii reum se reddit Sacerdos tam conficiens, quam distribuens Eucharistiam in mortali: 1.° qnia ut docet Rit. Rom. *Omnibus quidem Sacramentis religiose, sancteque tractandis magna cura adhibenda est, sed praecipue in administrando, ac suscipiendo SS. Eucharistiae Sacramento*; 2.° quia sicut in aliis Sacramentis concurrit ad sanctificationem suscipientium per eorum confectionem, ita in hoc ad sanctificationem suscipientium concurrit per ejusdem dispensationem. Ipsam vero conficiens, idest celebrans in mortali, non unum, ut Lig. advertit n. 35., sed quatuor sacrilegia committit: 1.m, quia *indigne consecrat.* 2.m, quia *indigne sumit.* 3.m, quia *indigne ministrat.* 4.m, quia *ministrat indigno*, qualis ipsemet est in mortali existens: cum enim in tali statu quatuor diversis ejusdem virtutis officiis uno, eodemque actu opponatur, prohibet namque Religionis virtus et ne

conficiatur Sacramentum indigne, ut ne indigne sumatur, et ne indigne ministretur, et ne ministretur indigno; ex dictis proinde l. 5. n. 63., quatuor specie diversa sacrilegia committit. Immo addit, quod valde probabiliter docet Cont. Tourn. cum D. Th. *in* 4. *Dist.* 24. *q.* 1. *a.* 3. *ad* 4., graviter quoque peccare, qui existens in mortali, Eucharistiam tangat immediate, vel mediate, illam scilicet gestando in processione, vel eadem populum benedicendo; nequit enim id, ut consideranti patet, a gravi injuria, quae Christo sub sacris speciebus latenti fit, excusari.

29. An vero administrans Sacramenta, ad quae non est ordinatus, ut laicus in necessitate baptizans, et contrahentes Matrimonium, peccet mortaliter, si in lethali id faciat, quidam id negant; ex probabiliori tamen cum Lig. n. 32. affirmandum: cum enim supra allatae rationes aeque militent tam pro administratione solemni, quam pro non solemni, sive nempe minister sit ad ministrandum Sacramentum ab Ecclesia deputatus, et consecratus, sive non; in utroque casu idcirco aeque peccari dicendum est, si in statu peccati lethalis ministrentur, praeterquam in casu necessitatis, in quo minister non posset statim vel confiteri, vel saltem conteri. Nec umquam D. Th. contrarium docuit, ut adversarii contendunt, de administratione non solemni; cum tantum S. D. locutus fuerit de praefato necessitatis casu, ita nempe disserens 3. *p. q.* 64. *a.* 6. *ad* 1., ubi: *Non est dubium quin mali exhibentes se ministros Dei, et Ecclesiae in dispensatione Sacramentorum, peccent: et quia hoc pertinet ad irreverentiam Dei, et contaminationem Sa-*

cramentorum, *consequens est*, *quod tale peccatum ex genere suo sit mortale. In articulo tamen necessitatis non peccaret baptizando in casu*, *in quo posset etiam Laicus baptizare*, *quia non exhiberet se*, *ut ministrum Ecclesiae*, *sed subveniret necessitatem patienti.*

30. Quae cum ita sint tam pro administratione solemni, quam pro non solemni, teneturne tamen conferens Sacramenta confessionem praemittere, si sit in mortali? Qua super re certum apud omnes est, quod, ut ait Trid. sess. 13. c. 7., *nullus sibi conscius mortalis peccati*, *quantumvis sibi contritus videatur*, *absque praemissa Sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debet*: et can. 11. contrarium docentes ipso facto excommunicantur. Nec solum istud dicendum est praeceptum Ecclesiasticum, sed cum communi, et vera sententia, ut docet B. Lig. n. 256, praeceptum Divinum: praeceptum namque se probandi ante sumptionem Eucharistiae, testatur *Ap.* 1. *ad Cor.* 11., illud *a Domino accepisse*; aitque solum Trid., Ecclesiae consuetudinem declarasse, quod qui conscius sibi est mortalis peccati, probare se debet per Sacramentalem confessionem. Quoad alia tamen Sacramenta, quae vivorum appellantur, docent quidem nonnulli, praemittendam quoque esse ante eorum susceptionem ab eo, qui in mortali versatur, Sacramentalem confessionem, ratio enim, inquiunt, periculi suscipiendi Sacramentum indigne aeque militat pro aliis Sacramentis vivorum, quam pro Eucharistia. Probabilius tamen censet Lig. n. 34, sufficere, quod eliciatur contritio: 1.° quia in Rit. Rom. dicitur: *Sacerdos*, *si fuerit peccati mortalis sibi conscius*, *ad Sa-*

cramentorum administrationem non audeat accedere, nisi prius corde poeniteat. Sed si habeat copiam Confessarii, ac temporis, convenit confiteri. Non igitur confessio Sacramentalis est de necessitate, sed tantum de convenientia. 2.° quia ex una parte nullum hujuscemodi praeceptum, praemittendae scilicet confessionis in casu proposito, pro aliis Sacramentis habetur; et ex altera, ut Suaresius ait, satis videtur esse, ut Sacerdos moralem diligentiam adhibeat ad se justificandum per contritionem, quin summam adhibeat per Sacramentalem confessionem.

31. Quod autem dictum est de Sacramentis, dicendum aeque non est de aliis sacris functionibus, quae nec confectiones, nec administrationes sunt Sacramentorum; quas minister, etsi ex officio, exercens in mortali, ex satis probabili sententia juxta Lig. n. 37. non peccat mortaliter. Non est quidem negandum, quod D. Th. oppositum docet *in* 4. *Dist.* 24. *q.* 1. *a.* 3. *ad* 4, ubi: *Quicumque autem cum peccato mortali aliquod sacrum officium pertractat, non est dubium, quin illud indigne faciat; unde patet, quod peccat mortaliter*: ut tamen Lig. disserit, cum hujusmodi functiones non sint proxime ordinatae ad sanctificationem animae, non videntur sub gravi exigere exercentium sanctitatem: cui accedit, quod ubi de praecepto non constat, neque etiam imponenda est obligatio sub mortali. Hinc, subdit, probabiliter a mortali excusantur et Subdiaconi, et Diaconi in mortali ministrantes; dummodo Diaconi Eucharistiam nec immediate, nec mediate tangant, ut ex dictis n. 28. patet. Nec obstat illud Apostoli *ad Tim.* 3., ubi

praecipitur, quod Diaconi *habeant mysterium fidei in conscientia pura.* Respondetur enim, quod cum Diaconi tunc temporis Eucharistiam, et Baptismum ex officio ministrarent, ut constat quoad Eucharistiam ex illis D. Just. verbis: *Qui apud nos vocantur Diaconi, distribuunt unicuique panem etc. Porro alimentum hoc vocatur Eucharistia*: quoad Baptismum ex Tert., ubi ait: *Dandi Baptismum jus habet Episcopus, deinde Presbyteri, et Diaconi, non tamen sine Episcopi auctoritate*: merito ob reverentiam Baptismi, et Eucharistiae, quorum administratio Diaconis committebatur, puram conscientiam in iis Apostolus requirebat. Nec etiam obstat textus in *C. quaesitum, ult. de temp. ord.*, ubi Greg. IX. loquens de Sacerdotibus, aliisque clericis existentibus in mortali occulto, ait: *Si non poenituerint, monendi sunt, et sub interminatione Divini Judicii obtestandi, ut in testimonium suae damnationis in susceptis ordinibus non ministrent.* Respondetur enim 1.°, quod recte Greg. ait, tales clericos peccare graviter ministrando in mortali, quia juxta decretum Anacleti Papae, et can. 9. Apostolorum, ministri Altaris tunc temporis tenebantur in Missa communicare. 2.° quod si textus rigorose accipiatur, etiam clerici minores exercentes actus suorum ordinum peccarent mortaliter; quod nemo unquam dixit. Intelligendus ergo est hoc sensu, quod in mortali existentes abstinendi sunt ab exercitio ordinum juxta qualitatem reverentiae, quam quilibet ordo pro sua dignitate requirit; aliam namque reverentiam requirit administratio Sacramentorum, et quidem sub gravi; aliam exigunt aliae functiones, etsi non tan-

tam, sed majorem, vel minorem, juxta proximitatem, quam data functio habeat ad Sacramentum. Multo magis vero ex probabiliori cum eodem Lig. n. sequ. non peccat mortaliter Episcopus, vel Sacerdos, qui in mortali consacret Templum, benedicat vestes sacras, vel corporalia, cineres, aquam lustralem, etc., atque assistat matrimonio: sicut etiam non peccat mortaliter concionator in mortali, tum quia nulla patet lex prohibens sub gravi existentibus in mortali, ut a praedicatione abstineant; tum quia actus praedicandi non tendit immediate ad sanctificationem audientium, cum de se non causet gratiam, quemadmodum administratio Sacramentorum.

32. Requiritur 2.° ad licitam Sacramentorum administrationem, et confectionem, ut Sacri ritus in iis administrandis, conficiendisve observentur; ut enim definiit Trid. sess. 7. can. 13. *Si quis dixerit, receptos, et adprobatos Ecclesiae ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut sine peccato a Ministris pro libito omitti, aut in novos alios mutari posse, anathema sit.* Hinc praecipue docent TT., omissionem notabilem rituum in Missae celebratione non posse a lethali excusari; ex quibus ita Lig. n. 398.: *Dicimus, Rubricas intra Missam esse praeceptivas; et quidem sub gravi, nisi levitas materiae excuset*: tum scilicet quia finis, cur praecepti fuere, gravissimus est, ut majestas nempe, ut ait Trid. sess. 22. de Sacr. M. c. 5., *tanti Sacrificii commendaretur, et mentes fidelium per haec visibilia Religionis, ac pietatis signa, ad rerum altissimarum, quae in hoc Sacrificio latent, contemplationem exci-*

tarentur: tum quia Pius V. ita de iis ait in initio Missalis: *Mandantes et districte omnibus, et singulis praecipientes in virtute S. Obedientiae, ut Missam juxta ritum, modum, et formam in Missali praescriptam decantent, ac legant*: ex quibus verbis, et signanter ex illis *districte, et in virtute etc.*, quis praecepti gravitatem non videat? Quamobrem sicut qui coeremonias omittat in materia levi, non excusatur a levi culpa, ita qui in materia gravi, nec etiam a gravi culpa excusabitur. Cumque impossibile sit (pergit Lig.), Missam infra quadrantem perficere, quin omittantur aut verba, aut coeremoniae, vel saltem quin imminuatur decentia, et gravitas tanto Sacrificio debita; quin scilicet Sacerdos verba, benedictiones, et genuflexiones mutilet, quin indecenter se moveat, et convertat, quin verba cum coeremoniis complicet, aut ipsa contra Rubricarum praescriptum anticipet, vel postponat, quin demum earum dignitatem corrumpat, adeo ut minus malum videri posset eas omisisse omnino, quam ita percurrisse festinanter, ac histrionum modo: hinc Sacerdos, qui infra quadrantem Missam absolvat, difficulter a lethali excusari potest, etiamsi Missa sit ex brevioribus, vel de S. Maria in Sabbato, et etiamsi pronuntiet integra Missalis verba, adimpleatque cunctas Missae coeremonias; decentia namque, et gravitas tanto Sacrificio debita, non solum expostulat, ut integre verba pronuntientur, et coeremoniae persolvantur, sed ut id fiat remota praecipitatione omni, et cum gravitate convenienti, quae intra tam breve spatium adesse non potest.

33. Requiritur 3.° ad licitam Sacramentorum ad-

ministrationem, ut non ministrentur indignis. Quod patet 1.° ex *Matth.* 7., ubi: *Nolite sanctum dare canibus.* Per canes autem designantur *peccatores manifesti*, ut docet D. Th. 3. *p. q.* 80. *a.* 6., cumque eo unanimiter TT. 2.° ex Ap. 1. *ad Cor.* 4., ubi: *Sic nos existimet homo, ut Ministros Christi, et dispensatores Mysteriorum Dei.* Dispensator autem esse debet fidelis; nec hujusmodi est, qui indigno scienter dispenset. 3.° ex injuria, quae Sacramento irrogatur, dispensando illud indigno. 4.° quia agitur contra ejus institutionem, illud defraudando suo effectu. 5.° Quia non licet suscipientis peccato cooperari. Diximus autem per canes intelligendos esse peccatores manifestos, seu publicos; distinguendi enim sunt peccatores publici ab occultis: si enim Sacramentum petat peccator publicus, cujus nempe crimen sit notorium vel jure, vel facto, vel fama, nequit ei Sacramentum ministrari, tam si publice, quam si occulte petat. Si vero Sacramentum petat peccator occultus, debet ei denegari, si occulte petat, modo ejus crimen non resciverit Minister ex illius confessione Sacramentali: debet tamen ei ministrari, si petat palam, exemplo Christi, ut ait Eug. Papa, qui proditori Judae Communionem praebuit: idemque dicendum ex Lig. n. 45., et 46., etiamsi ejus crimen notum sit plerisque ex praesentibus, non autem omnibus, quia petens adhuc possidet famam respective ad omnes, qui ejus crimen ignorant: sicut etiam si ejus crimen sit publicum in alio loco, non vero in loco, ubi Sacramentum petit, nec notitia illius criminis sit ibi de facili perventura, quia ex una

parte ministrando illi Sacramentum, non adest aliorum scandalum: et ex alia illi Sacramentum negando, eadem inde inconvenientia orirentur, propter quae vitanda illicitum est peccatori occulto, qui palam Sacramentum petat, illud negare. Ut autem peccatori publico possit Sacramentum ministrari, ipsius quoque Eucharistiae, sufficit, ut Lig. docet, confessio coram pluribus facta, praeterquam si habeat occasionem proximam peccandi, eamque non deseruerit, qui enim publice confessus fuerit, publice censetur emendatus (n. 47.).

34. Debet igitur Minister providere, ut Sacramentum digne suscipiatur. Et ut praecise loquamur, in Sacramento Baptismi, si ministretur adultis, debet Minister consensum, ac dispositionem baptizandi inquirere. In Sacramento Confirmationis (ait Colet) digni habentur, quos praesentant Parochi. Qui vero a nemine praesentantur, rustici praesertim, et inopes, ignari plerumque rerum salutis, quandoque interrogandi, an confessionem praemiserint, an jam fuerint confirmati, etc. Quoad Eucharistiam, bonus praesumendus, cui nihil objici potest. In Sacramento Poenitentiae, tenetur Confessarius, utpote Judex, moraliter certum se reddere de dispositione poenitentis, quae tamen moralis certitudo, ut Lig. ait n. 57., ac nos diximus l. 1. n. 26., alia non est, nisi prudens de ea probabilitas, vel nempe unica, vel notabiliter praeponderans: in dubio enim de dispositione poenitentis, omnes conveniunt, quod nonnisi in mortis articulo potest ei absolutio impertiri; ac ubi probabilitas non sit notabiliter praeponderans, non habetur, nisi

dubium, in moralibus namque parum pro nihilo reputatur. In Sacramento Extremae unctionis habendum prae oculis, quod diximus n. 26. In Sacramento Ordinis Episcopus illum collaturus certam habere debet scientiam de dignitate ordinandi, quem si indignum sciat, quia in aliquo vitio, etsi occulto, sed gravi versatur, illum debet ab ordinatione repellere, ut Trid. praecipit *sess.* 14. *c.* 1. *de Ref.*; ut enim sapienter disserit Lig. 52., qui se ingerit in munera publica, ad quae non est idoneus, repelli debet etiam cum infamia ob bonum publicum privato praeferendum. Idemque Trid. *sess.* 23. c. 5. *et* 7. praecipit, ut Episcopus ordinem collaturus ordinandi *mores diligenter investiget, et examinet.* Ad quid autem ejus mores diligenter investigare, et examinare, nisi ut illum repellat, si indignum noverit, juxta Ap. praeceptum 2. ad Tim. 3. *Manus cito nemini imposueris.* Nec Episcopus tenetur causam manifestare, cur illum ab ordinatione arceat, juxta declarationes S. Cong. Conc., quas late refert Ben. XIV. *l.* 12. *de Syn. c.* 8.

35. Quoad Matrimonium demum certum est, teneri Parochum a Matrimonio arcere eos, qui nesciant Doctrinam Christianam, *cum eam deinde filios suos docere debeant*, ut ait Rit. Rom.: utque S. C. habita coram Innoc. XII. anno 1697. decrevit, Parochi non debent ad proclamationes procedere, nisi repererint contrahentes sufficienter instructos in rudimentis fidei:, quod Decr. confirmatum subinde fuit a Clem. XI., ut in suo Bullario p. 326., et a Bened. XIV., ut in suo Bullario n. 32. Certum quoque est, teneri Parochos in Matrimoniis contrahendis ex officio inquire-

re, an subsit aliquod impedimentum; et si probabiliter illud subesse judicent, suam assistentiam denegare, ac nuptias prohibere, donec saltem per Ordinarium decernatur, quid sit agendum. Qua super re docet quoque Lugo, quod si Ordinarius scientiam habeat impedimenti occulti, tametsi nequeat illud probare, tenetur nihilominus Matrimonium prohibere. Quibus praemissis, si contrahentes publice petant, sintque indigni ratione peccati, vel censurae occultae, tenetur Parochus assistere, ex dictis n. 33. Si vero sint publice indigni, etsi aliqui docuerint, posse Parochum eorum Matrimonio assistere, modo prius conatus fuerit reddere dignos, negat id tamen Lig. n. 54.; ut enim disserit cum Ben. XIV. l. 8. de Syn. c. 14.: *Quamvis juxta communiorem, magisque receptam sententiam, non sit Sacramenti Matrimonii minister, nihilominus in multis comparatur ministro; nec licite sua praesentia, et auctoritate firmare potest contractum, quem scit a contrahentibus sacrilege iniri.* Cui accedit, quod ex contractu inito cum Communitate, a qua stipendium accipit, ideoque ex justitia, tenetur saluti spirituali suarum ovium incumbere, easque a peccatis avertere. Quod autem dicitur de Parocho, dicendum quoque est de testibus: qui tamen satis a peccato excusarentur, si assisterent ex metu gravi, cum non teneantur, nisi ex charitate, peccatum contrahentium impedire. Ipseque Parochus excusari etiam potest, si assistat ad vitandam mortem, vel alia graviora mala Communitatis, vel ipsorum contrahentium, puta (ait Lig.), ne ipsi in peccato perseverent.

36. Quid vero dicendum de ipsis sponsis, utpote

qui, ex dicendis suo loco, sibi invicem Sacramentum ministrant? Potest ne scilicet, si unus eorum sit publice indignus, alter Matrimonium cum ipso inire? Ad quod Lig. n. 55. respondet, quod si sponsus sit indignus, quia excommunicatus, in hoc casu si est vitandus, certe illicitum est cum eo contrahere, quia non licet cum ipso communicare in re sacra. Si vero est toleratus, probabilius est licere, quia Conc. Const. indistincte concessit fidelibus, posse cum excommunicatis toleratis communicare. Quod si sponsus sit indignus ob aliquod peccatum, docet, communius quoque esse, quod liceat cum eo contrahere, si alter sponsus nequeat sine gravi incommodo a Matrimonio recedere; etsi enim contrahentes indirecte conficiant Sacramentum, directe tamen contractum ineunt, qui de se non est res sacra: unde in hoc Sacramento sponsi videntur magis conditionem habere privatorum contrahentium, qui tantum respiciunt ad propriam utilitatem, quam publicorum Ministrorum, qui attendere debent, ut suscipientes Sacramenta ob eorum indignitatem repellantur. Haec tamen ratio (concludit) non omnino me convincit, sed eam non reprobo.

37. Caeterum si infamia peccatoris publice petentis est ratio sufficiens ex dictis, ut Minister illi conferat Sacramentum, infamia nihilominus, etiamque mors a Ministro subeunda eum non excusat a peccato, si indigno juxta dicta Sacramentum conferat, quidquid aliqui docuerint. Et sane, ut sapienter disserit Lig. n. 49., ratio, ob quam non licet negare Sacramentum peccatori occulto, non est praecipue, ut ipsi fama servetur, sed potissimum sunt gravia incommoda, quae

inde sequerentur, nec non aliorum scandalum, quod si Sacerdos posset ob crimen occultum Communionem negare, forte etiam boni ab illius susceptione deterrerentur, timentes, ne forte ob odium, vel imprudentiam a Sacerdote ejiciantur. Haec tamen inconvenientia, atque hoc scandalum non interveniunt in Ministro, qui metu cogeretur ad ministrandum Sacramentum indigno: immo aedificationi esset populo, si ad reverentiam Sacramento servandam, periculo mortis se objiceret.

38. Ad licitam quoque Sacramentorum administrationem pertinet quaestio, num quandoque liceat simulare Sacramenta, vel eadem sub conditione ministrare. Et quoad 1.m, definitur simulatio Sacramenti *positio materiae, et formae Sacramenti absque intentione faciendi quod facit Ecclesia*: nec umquam licet, etiam, ut advertit Lig. n. 59., ad mortem vitandam, esset namque Deo illudere, gravemque illi injuriam irrogare. Hinc proscripta fuit ab Innoc. XI. prop.: *Urgens metus gravis est causa Sacramenti administrationem simulandi.* Infertur tamen ab allata definitione 1.°, non esse simulationem Sacramenti super poenitente indisposito aliquid dicere, Crucemque efformare, ne ejus indispositio prodatur; cumque adest necessitas non invehendi adstantibus suspicionem de illius indispositione, bene licet id agere; ut enim dicitur c. *omnis de Poenit.*, et *remiss.*: *Caveat omnino* (Confessarius), *ne verbo, aut signo, aut alio quovis modo aliquem prodat peccatorem.* Infertur 2.°, neque etiam esse simulationem Sacramenti, si ad infamiam, vel scandalum vitandum, Confessarius, et

poenitens conveniant, ut Communionem aliis ministraturus, dicat super ipso dumtaxat verba: *Corpus Domini nostri ec.* Infertur 3.°, neque etiam esse simulationem Sacramenti, Matrimonium ore tenus ob metum gravem contrahere, absque animo scilicet illud contrahendi; cum enim, ut Lig. disserit n. 62. desit voluntarius consensus, deest quoque materia, et forma Sacramenti, quod non conficitur, nisi vero contractu. Tametsi demum nec etiam esset simulatio Sacramenti hostiam non consecratam pro consecrata praebere, vel celebrare Missam non proferendo consecrationis verba, crimen tamen gravissimum utrumque esset, quia exponeretur panis adorationi suscipientis, et adstantium, quae vera esset idololatria. Hinc etiam dicitur *C. De homine 7. de cel. Miss.*, gravius peccare Sacerdotem, qui in Missa non consecraret, quam qui sacrilege consecraret, et communicaret.

39. Quoad alterum vero, quamvis Jueninus, et Tourn. asserant, ante saeculum VIII. non haberi mentionem in Patribus, et Conciliis hujusmodi administrationis sub conditione; docet tamen Ben. XIV. *l. 7. de Syn. c.* 15., non recte ex eo inferre Nat. Alex., non fuisse in usu in Sacramentorum collatione conditionem apponere, cum satis ex constanti Ecclesiae praxi probetur oppositum, ac tantum in saeculo VIII. conditio illa, quae prius mente detinebatur, exprimi coepit. Ad resolutionem modo quaestionis progredientes, certum apud omnes est, quod numquam licet Sacramenta administrare sub conditione de futuro, quia frustra administrarentur: si enim

valeret Sacramentum sub conditione de futuro; vel valeret cum forma applicatur materiae, vel cum conditio implebitur. Neutrum autem dici potest. Non 1.^{m}, quia Sacramentum non valet hic, et nunc, cum non adsit intentio hic, et nunc conferendi. Non alterum, quia nullum habetur Sacramentum sine materia, et forma: ergo ec. Utque idem brevius dicamus, ut Sacramentum valide conferatur, forma applicanda est materiae praesenti, alias haberetur effectus Sacramenti, quando forma, et materia jam desierint adesse. Hinc quia forma, et materia frustra adhibita Sacramentum profanaretur, ideo etiam grave esset sacrilegium. Probabilius quoque est ex Lig. n. 26., quod nec licet illud ministrare sub conditione de praeterito, vel praesenti occulta, atque humano modo incognoscibili; ut ex. gr., *te baptizo*, *si es praedestinatus*. *Te absolvo*, *si Deus cognoscit*, *quod restitues*: cum enim Deus commiserit administrationem Sacramentorum cognitioni, et voluntati humanae, nequit apponi conditio, quae sub humana cognitione cadere non possit. Si tamen conferatur sub alia conditione de praeterito, vel praesenti, idque fiat ex justa, et rationabili causa, bene licet: hac namque accedente, ex una parte nulla irrogatur Sacramento irreverentia; et ex altera proximi bono, ob quod Christus Sacramenta instituit, meliori, quo fieri potest, modo consulitur. Diximus *ex justa*, *et rationabili causa*; commune enim est, esse peccatum mortale ministrare sub conditione Sacramentum, si non adsit causa necessitatis, vel gravis utilitatis, quia illicitum est, ut Lig. disserit n. 28., Sacramentum

sine tali causa conferre cum dubio effectus. In casu autem extremae necessitatis, in quo alia non habeatur materia, nisi dubia, nedum potest, sed tenetur etiam Minister Sacramentum sub conditione conferre. Baptismo tamen taliter collato ob necessitatem cum dubio de ejus valore, repetendum deinde est sub conditione, si forte primum invalidum fuerit: quod et dicendum de Confirmatione, et Ordine, si dubitetur, an valide collata fuerint, utpote etiam Sacramenta, quae reiterari nequeunt. Qua super re advertendum denique, quod licet sit sententia communissima, necessarium non esse, ubi Sacramentum sit ministrandum sub conditione, ut haec ore exprimatur, sed satis sit mente concipi: quia tamen (scribit Lig. in elencho propositionum, quas, rebus ad seduliorem trutinam revocatis, reformavit) non desunt AA., ut Gonet, Juenin, Contens., Serry, ec., qui tenent, licet parum probabiliter, valorem Sacramenti non pendere ab intentione Ministri, sed tantum ab ipsa collatione Sacramenti serio peracta, tutius est conditionem etiam verbis exprimere.

40. Ad licite demum suscipienda Sacramenta, si sint mortuorum, requiruntur debitae dispositiones, de quibus suo loco: si vivorum, status gratiae, ipsiusque Sacramenti cognitio. Quando autem liceat eadem a malis Ministris suscipere, respondent DD., quod cuique licitum est, etiam extra casum necessitatis, Sacramentum petere a proprio Parocho, immo et a quolibet Sacerdote parato ad ministrandum, etsi prudenter uterque credatur esse in peccato mortali, modo alius Minister desit, idque fiat ex justa, et

rationabili causa. Quoad 1.m enim, licet cuique uti jure suo, in re maxime, quae ex se bona est. Fidelis autem petens Sacramenta a Parocho, vel alio, cui ex officio id incumbit, utitur jure suo, Parochus enim, vel alius ex officio deputatus tenetur Sacramenta suis ovibus ministrare, estque id ex se bonum, et sanctum: ergo. Quoad 2.m, quia videns Ministrum paratum ad ministrandum, ex una parte illum non inducit ad peccatum, cum jam ille ad istud paratus sit; ex altera petit rem ex se bonam, quam si Minister male exercet, ex ejus malitia est. Quoad 3.m quia ad licite cooperandum materialiter alterius peccato, id fieri debet, ut diximus l. 2. n. 78., et sequ., ex justa, et rationabili causa. Quae omnia auctoritate etiam D. Th. confirmari possunt; ita enim S. D. 3. *p. q.* 64. *a.* 6. *ad* 2.: *Ille, qui ad Sacramenta accedit, suscipit Sacramenta a Ministro Ecclesiae, non in quantum est talis persona, sed in quantum est Minister Ecclesiae. Et ideo quamdiu ab Ecclesia toleratur in Ministerio, ille, qui ab eo suscipit Sacramentum, non communicat peccato ejus, sed communicat Ecclesiae, quae eum, tamquam Ministrum, exhibet.* Et 2. 2. *q.* 78. *a.* 4.: *Inducere hominem ad peccandum nullo modo licet; uti tamen peccato alterius ad bonum licitum est, quia et Deus utitur omnibus peccatis ad aliquod bonum.* In 4. demum Dist. 24. q. 1. a. 3. ad 3.: *Praeter necessitatis articulum non esset tutum, quod eum* (scil. Pastorem) *induceret ad aliquod sui Ordinis exequendum, durante tali conscientia, quod ille in peccato mortali esset.* Necessitatis tamen vocabulo, recte explicat Lig. n. 89., in-

telligi hic necessitatem moralem, qualis communissime censetur causa gravis utilitatis.

41. Pauca nunc de Sacramentalibus, quae definiuntur: *Actus externi Religionis ad colendum Deum accomodati*; cujusmodi sunt Oratio Dominica, aqua benedicta, elemosyna, consecrationes variarum rerum, et personarum, ec. Non habent autem vim conferendi gratiam, aut remittendi peccata *ex opere operato*, quia nullibi promissio gratiae, aut remissionis peccatorum iis facta reperitur, sed tantum quatenus in nobis pios motus excitant; unde ita de iis D. Th. 3. p. q. 87. a. 3. *Omnia ista causant remissionem peccatorum implicite, vel explicite.*

TRACTATUS II.

DE SACRAMENTIS IN SPECIE, ET 1.° DE BAPTISMO.

CAPUT I.

De veritate hujus Sacramenti, ejusque institutione, materia, forma, et effectibus.

42. Praenotandum, quod triplex distinguitur Baptismus, flaminis, sanguinis, et fluminis. Baptismus flaminis est *perfecta ad Deum conversio per contritionem, vel ejus amorem super omnia cum voto explicito Sacramenti, suscipiendi scilicet Baptismum aquae.* Porro quod suppleat hujus vicem, definiit Trid. *sess.* 6. c. 4., ubi ait, neminem posse salvari *sine regenerationis lavacro, aut ejus voto.* Quod et proba-

tur illis Scripturae testimoniis, ubi dicitur: *Omnis, qui invocaverit nomen Domini, salvus erit. Si impius egerit poenitentiam, vita vivet. Omnis, qui credit in illum, non confundetur. Omnis, qui vivit, et credit in me, non morietur in aeternum. Non dereliquisti quaerentes te, Domine, etc.* Addit D. Bern.: *Cum Salvator dixerit: Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit, caute, et vigilanter non subdidit, qui vero baptizatus non fuerit, sed tantum qui vero, inquit, non crediderit, condemnabitur. Nimirum innuens, solam interdum fidem sufficere ad salutem, et sine ipsa sufficere nihil (ep. 77. ad Aug. Victor. c. 2.).* Diximus autem cum voto explicito Sacramenti; si enim Concilium votum tantum implicitum intellexisset, inutile fuisset illud distincte innuere, cum semper includatur in contritione perfecta: aitque Lig. n. 96., sufficere votum explicitum, vel implicitum, quia implicitum sufficit in eo qui legem Baptismi invincibiliter ignoraret. Hic igitur baptismus flaminis; qui tamen nec characterem imprimit, nec omnem poenae reatum tollit.

43. Baptismus sanguinis est *mors, quam quis patiatur in odium fidei, vel alterius virtutis Christianae*: et in illis enim, qui in inserviendis peste infectis ex charitate moriuntur, dicit Martyr. Rom. die 28. Febr.: *Quos velut Martyres religiosa fides venerari consuevit*; eosque veros Martyres esse tenent, ut scribit Lig. n. 100., 12. Academiae, 13. Cardinales, et plusquam 300. Auctores. Porro, etsi characterem non imprimat, vices etiam Baptismi supplere, culpam, et poenam remittendo, ex eo probatur, ut D. Aug. disserit, quod is, *qui dixit*: *Nisi*

quis renatus fuerit etc., *alia sententia istos fecit exceptos*, *ubi non minus generaliter dixit*: *Qui me confessus fuerit coram hominibus*, *confitebor et ego eum coram Patre meo. Et alio loco*: *Qui perdiderit animam suam propter me*, *inveniet eam*. Immo et justificare, ac ei, qui justus est, conferre augumentum gratiae *ex opere operato*, ostendunt DD. ex facto SS. Innocentium; quorum etsi maxima pars fuerint ab originali labe mundati per circumcisionem, et fidem parentum, 1.° tamen aliquos fuisse occisos ante octavum diem, ante quem non poterant circumcidi; sicut etiam inter eos fuisse etiam aliquos filios Gentilium, qui versabantur inter Judaeos, est moraliter certum: quos proinde mundatos fuisse ab originali labe per baptismum sanguinis, consequens est; idque *ex opere operato*, quod probatione non eget. 2.° Ecclesia omnes non solum ut Coelites, sed ut Martyres colit, iisque dicit: *Salvete flores Martyrum*; ex quo sequitur, quod per passionem mortis, obtinuerunt omnes nedum gratiam, sed et laureolam, et meritum martyrii. Martyrium autem iis prodesse non potuit sive ad justitiam, sive ad gratiae augumentum *ex opere operantis*. Igitur *ex opere operato*; nec aliter dici potest, quin dicatur, frustra Ecclesiam eos colere, ut Martyres, ut tales nempe, quibus mors profuit et ad justitiam, et ad gratiae augumentum, dum essent tantum infantes ab originali labe mundati, aliisque infantibus ab ea mundatis omnino similes. Sacramentum ne igitur Martyrium, utpote gratiam conferens *ex opere operato*? Minime, non enim ritus sacer a Christo institutus, nec ab Ecclesiae Mi-

nistris ministratus, nec ad fovendam, sed ad necandam Religionem.

44. Diximus autem, Baptismum sanguinis, etsi characterem non imprimat, vices veri Baptismi supplere culpam, et poenam remittendo: per martyrium namque omne peccatum deleri et quoad culpam, et quoad utramque poenam, aeternam nempe, et temporalem, constat ex perpetua Traditione, et praxi Ecclesiae, quae numquam oravit pro Martyre, juxta illud Innoc. III.: *Injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre* (*C. Cum Martha de cel. Miss.*). Tollit igitur omnem reatum sive culpae, sive poenae, ac statim vincentes coronat; unde D. Aug. ser. 159. *Injuria est* (et ipse dixerat) *pro martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendare.* Ad hunc tamen effectum requiritur in adultis, nedum mortis realis, aut vulneris lethalis perpessio in odium fidei, vel alterius virtutis Christianae, sed et 1.° mors tolerata absque ulla se defendendi voluntate, secus Christi morti non assimilaretur, ex qua similitudine totam, quam habet vim, martyrium obtinere, docet D. Th. *in* 4. *Dist.* 4. *a* 3. *ad* 1. 2.° acceptatio mortis, saltem habitualis, vel interpretativa, ut enim mors in odium fidei etc. sit meritoria, debet aliquatenus saltem esse voluntaria in iis, qui voluntarii sunt capaces. 3.° dolor supernaturalis de peccatis, nam, ut Trid. ait sess. 14. c. 4. *Fuit quovis tempore ad impetrandam peccatorum veniam motus hic contritionis necessarius.* Immo ut docet, saltem tamquam probabilius, Lig. n. 98, nec etiam sufficit attritio ad remissionem peccatorum per martyrium, sed requiritur contritio, vel dilectio Dei

super omnia. Quod probat 1.° ex Ap. 1. *ad Cor.* 13. ubi: *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* 2.° ex D. Th. 3. *p. q.* 66. *a* 12. *ad* 2., ubi: *Effusio sanguinis non habet rationem Baptismi, si sit sine charitate.* 3.° quia martyrium subire non importat semper charitatem perfectam habere, nam posset quis velle potius mori, quam novum peccatum committere propter metum Inferni.

45. Demum Baptismus fluminis, de quo est sermo, definitur *Sacramentum Novae Legis a Christo institutum ad spiritualem regenerationem per ablutionem corporis externam sub praescripta forma verborum.* Et sane si in eo habetur ritus sensibilis, gratiae per illum collatio, ac Christi institutio, habetur quoque in eo omnis Sacramenti ratio, ideoque dicendum est Sacramentum. Praefata autem omnia in eo habentur: *ritus sensibilis*, idest aquae ablutio cum prolatione verborum: *Ego te baptizo in nomine* etc. *Gratiae per illum collatio*, ajente Christo *Jo.* 3., quod per illam aquae ablutionem homo regeneratur in Spiritu Sancto. *Christi istitutio*, cum Apostolis jusserit, ut *docerent omnes gentes, baptizantes eos etc.* Ergo.

46. Fuit autem a Christo institutus priusquam praedicationis officium inchoaret; ut enim habetur *Jo.* 3. post acceptum a Joanne Baptismum *venit Jesus, et discipuli ejus in Judaeam, et illic commorabatur cum eis, et baptizabat*: per Apostolos nempe, ut declaratur c. 4., ubi: *Quamquam Jesus non baptizaret, sed discipuli ejus.* Non baptizabat autem baptismo Joannis, sed suo, ut docet D. Aug. *tr.* 11. *in Jo.*,

et constat 1.° ex invidia discipulorum Joannis, quod plures ad Baptismum discipulorum Christi confluerent, ut c. 3. habetur; cui invidiae locus non fuisset, si Christi discipuli baptizassent baptismo Joannis, utpote in quo casu non Christus, sed Joannes per eos baptizasset. 2.° ex eo quod habetur Marc. 1.°, quod baptismus Joannis erat solum *in aqua*, idest gratiam non producebat per se; baptismus Christi vero erat simul *in aqua*, *et Spiritu Sancto*. Fuit ergo tunc temporis a Christo institutus, qui cum Apostolos baptizasset, per eos deinde caeteros baptizabat. Et sane cum ante ejus Passionem fuerint Sacerdotes ordinati, et Eucharistiam sumpserint, quomodo fuissent illorum Sacramentorum capaces, nisi Baptismum recepissent? Nec obstat, quod per Baptismum datur Spiritus Sanctus; quodque ante Christi Resurrectionem, ut dicitur Jo. 7., *nondum erat Spiritus datus*. Resp. enim, quod nondum datus erat visibiliter, prout in die Pentecostes, non vero invisibiliter per collationem gratiae, alias Apostoli in die coenae recipiendo Sacramenta Eucharistiae, et Ordinis, non recepissent gratiam; quod nefas dictu. Neque etiam obstat, quod Christus post suam Resurrectionem Apostolis ait: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos etc.*: illis namque verbis non instituit baptismum, sed illum tantum extendit ad gentes, quas prius vetuerat baptizare, dicendo, ut habetur Matth. 10. *In vias gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis, sed potius ite ad oves, quae perierunt domus Israel*.

47. Ad materiam, et formam hujus Sacramenti gra-

dum modo facientes, ejus materiam remotam aliam non esse, nisi aquam elementarem, fide constat ex Jo. 3: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei*: aquam scilicet, ut explicat Rit. Rom., *fontium*, *puteorum*, *fluminum*, *maris*, *lacuum*, *stagnorum*, *cisternarum*, *et pluvialem*: qualis et est *quaecumque simplex*, *et pura*, *quae propriam aquae speciem retineat*; *nec refert*, *frigida sit*, *an calida*. At ex praecepto Ecclesiae nequit absque gravi conferri, nisi aqua consecrata: ac domi conferendus ob necessitatem, habetur in Rit. brevis formula, si tempus suppetat, aliam consecrandi: quod si non suppetat, debet saltem curari, ut docet Lig. n. 102., ut fiat aqua benedicta, sive lustrali, ob majorem decentiam. Jus vero, et lixivium saltem, ut idem docet, est materia dubia; quamvis enim D. Th. dicat, esse materiam aptam ad Baptismum, modo *non habeant plus de aliena substantia*, *quam de aqua*, Lig. tamen n. 103. censet non improbabile, quod non sint materia apta, sicut et aqua, quae exprimitur ex luto, cum magis corpus polluant, quam lavent. Materiam potius ad illum aptam probabiliter censet n. sequ., esse aquam per artem chimicam eductam ex floribus, plantis, aut radicibus: quia, ut disserit, in mixtis vere, et formaliter adsunt elementa, quorum quodlibet virtute chimica resolvi potest in suam speciem, adeo ut materia sic resoluta sit vera aqua. Idque confirmari videtur ex *c. in quadam de cel. Missae*, ubi Pontifex loquens de aqua, quae ex latere Christi fluxit, asserit, vere fuisse aquam, dicens: *Sive fuit virtute Divina creata*, *sive de componentibus*

ex parte aliqua resoluta, cum naturaliter possit elementatum in elementa resolvi. Nec quia dicitur artificialis, specie differre dicendum est ab aqua naturali. Dicitur namque artificialis, non quia arte fiat aqua id, quod non erat aqua, sed quia aqua naturalis arte separata ab aliis elementis. Subdit demum, non videri dubitandum, quod aquae distillatae cum rosis, aut aliis floribus sint materia apta ad Baptismum, quamvis non licita extra casum necessitatis; cum enim materia praedominans sit aqua, accidentaliter tantum differre videtur ab aqua elementari.

48. Haec igitur, quam diximus, materia remota Baptismi. Ejus vero materia proxima est ipsa ablutio: ex quo sequitur 1.°, quod si una, vel altera gutta dumtaxat adhiberetur, vel more aquae lustralis multitudo aspergeretur, Baptismus saltem esset dubius, cum ad ablutionem non videatur sat esse quicumque aquae contactus, sed requiri successivus cum aliquo motu. 2.° quod ablutio occisiva, qua infans mergeretur in flumen, vel puteum, esset quoque saltem Baptismus dubius, quia nullibi gentium reputaretur vera ablutio. Occisiva vero, quia aqua ferventi, vel venenata, esset certo Baptismus validus ex communi cum Lig. n. 106, quia jam reputaretur usualis ablutio, et solum per accidens se haberet, quod aqua esset venenata, et fervens. 3.°, quod si quis, aqua defluente ex tecto, puerum submittat, et formam proferat, validus esset Baptismus, quia etiam vera ablutio: ac solum non esset validus, si accessio aquae ad corpus baptizandi fieret ab altero, quia tunc non verificaretur forma *Ego te baptizo*, quae requirit ablutionem

ab ipso baptizante faciendam. Hactenus de materia.

49. Forma vero hujus Sacramenti sunt illa verba : *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*, ut probatur ex illis Christi verbis: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*: et ex Trid. *sess.* 7. *can.* 4. Ad illud vero Actuum, quod Apostoli baptizabant in nomine Jesu C., ut dicitur c. 2. et c. 8., respondent DD., sensum talium verborum esse, quod baptizabant baptismo a Christo instituto, non vero Joannis baptismo; quod enim ipsimet praedicta forma usi fuerint, evidenter colligitur ex c. 19. ipsorum Actuum, ubi refertur, quod cum Apostolus interrogasset Ephesios, *an Spiritum Sanctum accepissent*, eique respondissent: *Sed neque si Spiritus Sanctus est, audivimus*; subdidit Apostolus: *In quo ergo baptizati estis?* Ex quibus verbis evidenter deducitur, tunc quoque temporis Baptismum collatum fuisse invocato Spiritu Sancto, alias namque incongrua fuisset illa Apostoli admiratio. Vel etiam dici potest cum D. Cypr., quod dicitur baptizasse in nomine Christi, quia baptizantes *exprimebant nomen Filii simul cum nomine Patris, et Spiritus Sancti.* Affertur quidem *in c. Ac quodam de Consecr.* D. 4. responsio quaedam Nicolai Papae ad quaesita Bulgarorum, approbans baptismum collatum in nomine Christi, qui proinde reiterari non debeat. Respondet tamen Lig. n. 112., id Nicolaum dixisse obiter, et non ex cathedra; certum quippe est, quod Baptismus taliter collatus nihil valeret, expressumque habetur in *C. si revera* 30. *de consecr. D.* 4., ubi Pelagius Papa ait: *Si hi se solummodo in*

nomine Domini baptizatos fuisse confitentur, *sine cujuscumque dubitationis ambiguo eos ad fidem catholicam venientes in SS. Trinitatis nomine baptizabis.*

50. Formam autem allatam variari posse, ac aliquando irritum reddere baptismum, aliquando non, per verborum mutationem, corruptionem, transpositionem, additionem, diminutionem, commune est ap. DD. Quoad mutationem enim, valet forma, si tantum mutetur idioma; immo, ut docet Lig. n. 109., melius est, ut mulieres, aliique rudes, si baptizent, utantur lingua vernacula, cum nesciant perfecte latinam proferre, retinendo tamen, quantum fieri potest, verbum *baptizo*, dicendo: *Io ti battezzo etc.* Quoad corruptionem, notat cum D. Th.. n. sequ., facilius induci mutationem substantialem, si corruptio fiat initio vocis, ut si pro *Patris* dicatur *Matris*, quam si fiat in fine. Hinc Zach. Papa in *C. Retulerunt De Consecr. D. 4.* validum declaravit Baptismum sic collatum: *Ego te baptizo in nomine Patria, et Filia, et Spiritus Sancta.* Quod et dicendum, si quis ob balbutiem, vel praecipitantiam dicat: *Babatizo*, aut *batizo*; quia voces ita constitutae sunt, ut si aliquando cum vitio proferantur, idem significent. Quoad transpositionem, notat quoque cum D. Th., quod *nomina, et verba transposita idem significant.* Quoad additionem, quod bene Baptismus valet, etsi non liceat, si addantur formae verba sensum non corrumpentia; ut si quis diceret: *In nomine Patris omnipotentis, in nomine Filii Unigeniti etc.*: vel *in nomine Dei Patris, qui te creavit.* Quod si quis diceret: *In nomine Patris, in nomine Filii etc.*, censent quidem

Bon., aliique, baptismum non esse validum, quia non exprimeretur satis unitas Divinae essentiae; probabilius tamen censet Lig., validum esse, quia repetitio *nominis* nullatenus sensum immutat, prout neque immutaretur sensus, si diceretur: *In nomine Dei Patris*, *in nomine Dei Filii etc.*; pluraque a Concina afferuntur Sacramentaria, in quibus to *in nomine* repetitum legitur. Certe tamen (subdit) baptismus non esset validus, si diceretur: *Ego te baptizo in nominibus Patris etc.*, quia sic nullatenus explicaretur unitas essentiae Divinae, sicut etiam valde dubius esset Baptismus collatus sequentibus formis. *In virtute Patris etc.*; vel *in nomine SS. Trinitatis*; vel *in nomine Unius, et Trini*; vel *in nomine trium Personarum*. Addens vero ad nomen trium personarum etiam nomen B. V., si id faceret mente haeretica, intendens ita Baptismum conferre in nomine Virginis, sicut in nomine Trinitatis, esset invalidus, quia perverteretur vera Divinitatis confessio: secus, si tantum ob importunam devotionem.

51. Quoad diminutionem denique, certum est valere Baptismum, ac juxta communem sententiam tantum venialiter peccari, si omittantur verba *Ego*, et *Amen*, cum non sint de formae essentia; secus si verbum *Te*, cujus omissio redderet baptismum invalidum, quia uti ablutio, ita forma circa certam personam versari debet. Quaeritur tamen 1.°, an invalidet Baptismum omissio conjunctionis *Et*? Negat Conc., quia nomina *Patris*, *Filii*, *et Spiritus Sancti*, utpote inter se relative opposita, jam significant distinctionem Personarum. Censet tamen Lig. n. 111., satis, ac necessarium esse *Et* praepone-

re tertiae personae; nam ex una parte juxta communem loquendi usum, quoties plura nomina verbo copulativo junguntur, sufficit, ut conjunctio *et* praeponatur ultimo nomini: ex altera verbum *et* videtur omnino exprimendum saltem ante ultimum nomen, cum nomen Spiritus Sancti per se non sit notionale, denotans processionem tertiae personae, ac tam Patri, quam Filio conveniat. 2.° etiam quaeritur, an verbum *In* sit de formae essentia? Affirmant quidam, quia ejus omissio, ut inquiunt, variat formam, dicens enim: *Ego te baptizo nomine etc.*, ostendit baptizare auctoritate, potestate, vel imperio trium personarum, non vero Sanctae Trinitatis invocatione. Probabilius tamen id negat cum aliis Lig. n. 112., quia in latino idiomate frequenter omittuntur praepositiones, eaeque dicuntur subintelligi. Cui accedit, quod adhuc expresso verbo *In*, etiam to *nomine* significari potest, Baptismum conferri auctoritate, et potestate Divina, quo nempe sensu Christus locutus fuit Marc. ult., dicens: *In nomine meo Daemonia ejicient.* Et cum ait: Jo. 14. *Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo.* Porro, utpote locutio aequivoca, ad unam potius, quam aliam significationem a debita intentione Ministri determinari potest. In omnibus autem praefatis casibus materiae, vel formae probabiliter, vel probabilius validae, citra necessitatem numquam possunt absque gravi culpa adhiberi, ex dictis l. 1. n. 23., et 24., ac si fieri potest, denuo baptismus conferendus est sub conditione: *Si non es baptizatus, Ego te ec.*

52. Effectus demum baptismi in infantibus est so-

lutio a peccato originali per infusionem gratiae, et donorum: in adultis vero effectus est, ut et peccatum originale, et omnia eorum peccata actualia omnino deleantur; ut constat ex *Act.* 2., ubi D. Petrus ait: *Baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum.* De quo et Ezech. 36., ubi: *Et effundam super vos aquam mundam; et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Immo cum reatu poenae aeternae omnem quoque solvit reatum poenae temporalis: loquens enim Ap. *ad Rom.* 8. de regeneratis in Christo per Baptismum: *Nihil* (inquit) *damnationis est in iis, qui sunt in Christo Jesu.* Nihil igitur in iis damnatione dignum, idest nihil damnationis sive ad poenam aeternam, sive ad poenam aliquam temporalem. Quod et confirmatur ex Flor. in Decr. pro Armenis; ex Trid. *sess.* 6. *c.* 14., ubi dicitur, in Sacramento Poenitentiae temporalem poenam *non totam semper, ut in Baptismo fit, dimitti*; ac demum ex praxi Ecclesiae, quae nulla satisfactionis opera baptizatis umquam imposuit, prout imponit confessis; quod, addit Catech. Rom., *non sine maxima Sacramenti injuria fieri posset.*

53. Loquendo tamen de adultis, ut adultus quidem habens solum originale peccatum consequatur justitiam per Baptismum, non requiritur poenitentia, cum haec concipi nequeat, nisi de peccatis propria voluntate commissis; requiritur tamen, ex Trid. *sess.* 6. *c.* 6., 1.° fides, qua credat explicite existentiam unius Dei Remuneratoris, nec non Mysterium Trinitatis, et Mysterium Incarnationis, et generatim *vera esse, quae divinitus revelata, et promissa sunt, atque in primis, justifi-*

cari impium per gratiam ejus per redemptionem, quae est in Christo Jesu. 2.° spes justificationis, et vitae aeternae consequendae: *Spe enim salvi facti sumus.* 3.° quod Deum *diligere incipiat.* 4.° propositum efficax omnia praecepta servandi. 5.° intentio saltem habitualis suscipiendi Baptismum, ex dictis n. 24. Si vero praeter originale habeat quoque alia peccata mortalia, habere etiam debet de iis veram poenitentiam, ex D. Petro *Act.* 2., ubi: *Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum.* Ad hanc porro poenitentiam requiri contritionem, docent quidam. Verius tamen Lig. n. 139. cum Cano, Gonet, Suar., aliisque docet, sufficere attritionem, quin sit charitate formata, ut expresse ait D. Th. *in* 4. *dist.* 6. *q.* 1. *a.* 3. *ad* 5., ubi: *Ad hoc, ut homo se praeparet ad gratiam in Baptismo percipiendam, praeexigitur fides, sed non charitas, quia sufficit attritio praecedens, etsi non sit contritio.*

Caput II.

De Ministro, ac subjecto Baptismi; observandisque in ejus administratione.

54. Et quoad 1., in casu necessitatis certum fide est, quod non solum Sacerdos, vel Diaconus, sed etiam Laicus, et mulier, immo et haereticus, vel Paganus baptizare potest, dummodo formam servet Ecclesiae, et facere intendat, quod ipsa facit. Ita Flor. in Decr. pro Armenis: ejusque ratio est voluntas Christi ex praxi, et traditione nobis manife-

stata, qui cum velit, *omnes homines salvos fieri*, voluit quoque, ut medium ad salutem omnibus necessarium ab omnibus conferri possit. Quod autem et laicus, et mulier baptizare possit, ex eo confirmatur, quod Apostoli adhuc laici, et nondum ordinati baptizabant, ut diximus n. 46.: quodque si Sephora uxor Moysis circumcidit filium suum, a pari et mulier poterit baptizare. Necessitas autem illum statim ministrandi ob periculum, ne infans praemoriatur, habetur ex Lig. n. 106., et 142., 1.° si puer oriatur sine vagitu, et lacrymis. 2.° si modice respiret. 3.° si appareat lividus, praesertim in facie, vel capite. 4.° si nascatur ante septimum mensem, vel in 8. mense. 5.° si cranium habeat valde molle, vel suturas nimis apertas, aut alias partes disjunctas. 6.° si mulier difficulter sit enixa.

55. Extra casum tamen necessitatis Minister baptismi ordinarius, et ex officio est Episcopus, vel Parochus, et quivis Sacerdos ex alterutrius cummissione, pro iis etiam, ex probabiliori cum Lig. n. 115., qui in loco Baptismi semidomicilium contraxerint, quia per quasi domicilium quisque jam fit Parochianus loci, ubi habitat, ut habetur ex *c. fin. de Paroch.*, ubi confugientes ad aliquam Parochiam causa belli, jam dicuntur illius Parochiani: ex quo textu infert Ben. XIV. *Not.* 32., ad id etiam sufficere habitationem per aliquam notabilem anni partem causa alicujus negotii. Extraordinarius vero potest esse etiam Diaconus, et quidem etiam cum solemnitate ex *C. Diaconus D.* 93.: ex quo caeterum colligitur, quod ad id, nedum necessaria est commissio Episcopi, vel

Parochi, sed quod talis commissio illi fieri nequit, nisi ob necessitatem, vel Ecclesiae utilitatem, ut si non adessent Sacerdotes, et Parochus esset graviter infirmus, vel excommunicatus, vel alias occupatus ex Lig. n. 116. confessionibus excipiendis, aut praedicatione, ut colligitur ex *Act.* c. 6., ubi Apostoli Diaconos constituturi, dixerunt: *Fratres*, *viros constituamus super hoc opus*: *nos vero orationi*, *et ministerio verbi instantes erimus.* Porro sine tali commissione nec etiam in necessitatis casu potest Diaconus solemniter baptizare, quia Diaconus nequit esse Minister solemnis baptismi, nisi Sacerdotis vice, cum tantum Sacerdotis vice possit solemniter baptizare: sine qua proinde tametsi in casu necessitatis, solemniter baptizans, censet probabilius Lig. l. cit., quod irregularitatem incurrit, ex c. *si quis* 1. *De Cler. non ord. min.*: a qua tamen irregularitate excusari, idem docet, ob ignorantiam etsi crassam, cum irregularitas hujusmodi sit inflicta contra clericos id facientes cum temeritate, quae scientiam positivam importat una cum aliquo contemptu; sicut etiam si id faciat per jocum, quia Baptismus per jocum collatus non est verus Baptismus; ac demum ab ea quoque excusari, saltem probabilius, Laicos, cum ex una parte irregularitas numquam incurratur, nisi in jure sit expressa; et ex altera cum titulus, ex quo allatus textus est depromptus, sit de Clerico ministrante, debet proinde intelligi tantum juxta titulum, qui textui praefigitur. Cujus etiam Laym. rationem reddens, quia talis (ait) usurpatio frequentior esse solet in Clericis, quam in Laicis.

56. Quamvis tamen in casu necessitatis quisque, ut diximus, esse possit Minister baptismi, jubet tamen Rit. Rom., quod *si adsit Sacerdos, Diacono praeferatur* (et Parochus Sacerdoti), *Diaconus Subdiacono, Clericus Laico, et vir foeminae, nisi pudoris gratia deceat foeminam potius, quam virum baptizare infantem non omnino editum* (in quo casu ipsi Parocho praeferenda est : sicut etiam praesente tantum Patre, foemina baptizare debet, quia citra summam necessitatem vetatur parentibus baptizare), *vel nisi melius foemina sciret formam, et modum baptizandi. Quapropter curare debet Parochus, ut fideles, praesertim obstetrices, rectum baptizandi ritum probe teneant, ac servent.* Et quidem quoad obstetrices, sub gravi tenentur et Parochi eas diligenter docere, et ipsae recte addiscere, ac tenere modum baptizandi, cum illis non raro occurrat occasio baptismum in necessitate ministrandi. Hic autem ordo obligat sub gravi, si agatur de Laico respectu Sacerdotis, quo scilicet praesente, graviter peccaret laicus in necessitate baptizans, tum quia tunc usurparet jus Sacerdotis, cui ex potestate Ordinis commissum est baptizare; tum quia injuriam irrogaret Sacramento, quod exigit, ut, cum fieri potest, ministretur a Sacerdote, utpote ad illud consecrato; ideoque etiam Sacerdos graviter peccaret, si laico, etsi in casu necessitatis, administrationem cederet. Excipitur solum, si Sacerdos sit excommunicatus: quia enim privilegium baptizandi excommunicato conceditur in solo casu necessitatis, quae non reperitur, cum alius suppetit non excommunicatus, illi proinde in hoc casu

ipse laicus est praeferendus. Si vero agatur de laico respectu Diaconi, non obligat praefatus ordo sub gravi, ut saltem aeque probabile, ac oppositum censet Lig. n. 117., quia enim Diacono vi ordinationis non competit baptizandi officium, nisi ex commissione Sacerdotis; hinc cum ipse baptizat in casu necessitatis sine commissione, non baptizat ex officio, sed eodem modo, quo Clericus inferior, vel laicus: et quamvis, ut dignior, praeferendus sit, hujus tamen ordinis perversio non apparet tam gravis, ut de mortali damnetur. Praesente demum quovis alio Clerico inferiori, certum est, quidquid dicat Conc., quod laicus in necessitate baptizans, non peccat, nisi venialiter.

57. Sive autem Minister baptismi sit Clericus, sive sit laicus, non solum gravis sacrilegii fit reus aliquem jam baptizatum sine justa causa rebaptizans, verum etiam irregularitatem incurrit; eamque incurrit juxta sententiam probabiliorem, quam prae aliis sequitur Ben. XIV. *Not.* 84., tametsi id faciat sub conditione: quod probatur 1.° auctoritate Cat. Rom. indistincte ajente, quod id facientes *maculam suscipiunt, quam Divinarum rerum Scriptores irregularitatem vocant* (*p.* 2. *n.* 57.). 2.° ex Conc. III. Mediol., quod laudatus Pont. Ben. XIV. refert, id sanxisse. Ac 3.° quia cum quis absque causa aliquem rebaptizat, licet sub conditione, conditio habetur pro non apposita, quia apposita in fraudem legis. Ut habeatur autem justa causa rebaptizandi sub conditione, non sufficit leve, sed requiritur prudens, seu rationabile dubium, an Sacramentum fuerit, necne receptum;

sive dubium sit juris, an scilicet collatum, necne fuerit cum materia, forma, ac intentione debita; sive facti, eo quod vel nulla habeantur indicia, hominem esse baptizatum, vel utrinque adsint non leves conjecturae, quae rem dubiam efficiunt; ut enim D. Leo inquit: *Non potest in iterationis crimen devenire, quod factum esse omnino nescitur* (c. *Itaque* 92: *De consecr. D.* 4.). Et in Conc. Carth. V. relato in c. *Placuit* 91. *dict. D.* 4. sic dicitur: *Quoties non inveniuntur certissimi testes, qui eos baptizatos esse sine dubitatione testentur, absque ullo scrupulo esse baptizandos.* Ex metu tamen rebaptizans sub conditione, probabiliter ex Lig. l. 7. n. 356. ab irregularitate excusaretur.

58. Hinc sequitur, rebaptizandos esse sub conditione 1.° infantes baptizatos ab Haereticis Lutheranis, Anabaptistis, et Calvinianis, aliisque non observantibus requisita ab Ecclesia ad valorem Sacramenti: cum enim quidam ex iis aquam rosaceam adhibeant, alii materiam a forma dividant, quippe quod alter verba profert, alter aquam infundit, alii aquam tantum super vestem infundunt; tot proinde urgentibus dubitandi motivis de valore talium baptismatum, merito sunt sub conditione repetenda. 2.° infantes expositos, etiamsi cum scheda accepti baptismi, quoties non habeatur moralis certitudo de baptismo collato, et rite collato: quemadmodum juxta veriorem sent. docet Lig. n. 135. cum Ben. XIV. *Not.* 8., qui etiam de hoc affert Decl. S. C., quod nempe hujusmodi infantes, etiam cum scheda de baptismo collato, sunt sub conditione baptizandi, quamvis sint aetatis unius anni cum dimidio:

praeterquam si schedula de Baptismo moralem praeberet certitudinem de eo rite collato. 3.° infantes ab obstetricibus, seu laicis in necessitate baptizatis, quando adsit probabilis suspicio erroris in dato baptismo; sive, ut sanxit Syn. Neap. an. 1726., *si certo non constet, esse rite baptizatos.* Certo autem non constare, docet Hyac. Stampò, si desunt testes ad minus duo de Baptismo rite collato. Sed Lig. n. 136. id reprobat, ex *communissima* (ut ait), *et vera sententia*; ostenditque tum Declaratione S. C., ut refert *P. Zach. ap. Croix*, tum expressis verbis D. Car. Borrom., et Catech. Rom., quod nec sub conditione repetendus est Baptismus, si Parochus instituto examine constanter deprehendat, obstetricem illam, sive laicum rite baptizasse. Cum autem infans domi baptizatus fuerit ob necessitatem, suppleri debent in Ecclesia consuetae coeremoniae, et ritus: nam ut ait D. Th. 3. p. q. 7. a. 3. ad 3.: *Sicut impeditur effectus Baptismi, antequam percipiatur, ita potest impediri, postquam fuit perceptus.*

59. A Ministro gradum modo facientes ad subjectum baptismi, 1. nedum perfecte natus est baptizandus, verum etiam in mortis periculo infans, qui adhuc in utero existens, aqua tamen potest, per siphonem tingi, potest, et debet sub conditione baptizari, ut Lig. docet n. 107., ac non parum adhaeret Ben. XIV. *l. 7. de Syn. c.* 5. Nec obstat quod nonnulli, ut Nat. Alex., Conc., Juen., Gotti, ec. ex adverso dicunt, quod non potest renasci per baptismum qui nondum sit natus: vere enim aliquis dici potest natus, cum jam in utero matris conceptus

fuerit, juxta illud Angeli ad Joseph de conceptu Verbi incarnati apud Matth. *Quod in ea natum est, de Spirito Sancto est.* Unde D. Th. in 4. *Dist.* 12. *q.* 1. *ad* 2. ait. *Duplex est carnalis nativitas, prima in utero, secunda extra uterum.* Quod confirmatur ex c. 4. de Bapt., ubi inquiens Innoc. III.: *In carnali generatione, qua proles ex viro, et foemina nascitur, ec.*, declarat his verbis, tunc dici hominem nasci, cum generatus fuerit, idest conceptus, tunc namque *ex viro, et foemina nascitur*, nam postea cum editur in lucem, nascitur tantum ex foemina. De qua demum nativitate explicari posse Christi verba: *Nisi quis renatus fuerit ec.*, colligitur quoque ex Trid. *sess.* 3. *in Decr. de pecc. orig.*, ubi: *Ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt.* Sicut ergo peccatum originale per solam generationem contrahitur, ita etiam, ut homo per gratiam regeneretur, sat erit, quod jam sit generatus: sique Baptismus vocatur regeneratio a Concilio, non requirit ergo nativitatem ex utero, haec namque non dicitur generatio, sed illam tantum, quae fit in utero, tunc enim temporis infans generatur, ac generatione filius Adam constituitur. Quod si D. Th. 3. *p. q.* 68. *a* 11. negat, puerum baptizari posse in utero matris, ratione ductus, quod *corpus infantis, antequam nascatur ex utero, non potest aliquo modo ablui aqua*: immediate tamen addit: *Nisi forte dicatur, quod ablutio baptismalis, qua corpus matris lavatur, ad filium in ventre existentem perveniat; sed hoc esse non potest.* Ex quibus verbis sequitur, quod S. D., prout etiam D. Aug., D. Isid., et Rit. Rom.,

negando puerum baptizari posse in utero matris intelligendus est de puero in utero omnino clauso, non vero de puero, qui ob apertum uteri ostium possit per aliquod instrumentum aqua ablui: sique addit: *sed hoc esse non potest*, intelligendus est de ablutione sine aperitione uteri; hoc enim aperto, utique posse aquam ad infantem pervenire, constat, ut ait Ben. XIV. l. c., ex judicio medicorum, et obstetricum. Addens simul idem Summ. Pont., quod juxta doctrinam Sylv., et Vasq. valide quoque baptizatur infans in ipsa secundina involutus, cum enim haec continuetur cum infantis umbilico, potest proinde haberi velut pars infantis: quod cum saltem sit probabile, etsi proinde in secundina involutus, baptizandus quoque est in necessitatis casu sub conditione *si capax es*, aut alia simili: sub qua quotiescumque confertur baptismus, reiterandus deinde est, si infans supervivat, sub alia conditione, nempe *si non es baptizatus ec.*

60. Ultro etiam progreditur Lig. n. 124; et quidquid dicat Nat. Alex., omnino dicendum docet, quod foetus quoque abortivus, modo per aliquem motum det vitae signum, et non constet esse anima destitutum, est semper baptizandus sub conditione, si vivat; maxime cum verisimile existimetur, quod foetus ab initio conceptionis, vel saltem post aliquos dies anima informetur. Ratio autem est evidens: nam ex una parte ob conditionem, quae apponitur, nulla fit, cum id necessitas expostulat, Sacramento injuria: ex altera vero ob verisimilitudinem, quod forte foetus sit animatus, nequit baptismus negligi, quin sub-

sit periculum aliquem cum suae salutis dispendio eo privandi. Simul tamen advertit cum Tour., baptizandam non esse massam carneam, quae nullam habeat organorum dispositionem, cum ubique receptum sit, non prius infundi animam corpori, quam istud formatum fuerit; ac tunc, ut baptizetur, necesse esse ut *indicet aliquem motum vitalem*, ut praescribit Rit. Rom. *de Bapt. parv.* Suddit autem num. sequ. quoad monstra, quod si dubitetur, an monstrum sit homo, sed prodierit ex congressu viri cum foemina, hoc posito, baptizandum est absolute, si caput sit humanum, licet membra sint ferina; sub conditione vero, si caput sit ferinum, et membra humana: si vero prodierit ex congressu viri cum bestia (quod incredibile scribit sibi videri), hoc posito, baptizandum est sub conditione; secus si ex foemina cum bruto; tunc enim docet, nullatenus baptizandum esse, quia non descenderet ex Adam, utpote non conceptum ex semine virili. Illud autem, ut addit Rit. Rom., de quo dubium est, una ne, an plures sint personae, non baptizentur, donec id discernatur. Discerni autem potest, si habeat unum, vel plura capita, vel pectora, tunc enim totidem erunt corda, et animae, et eo casu singuli seorsum sunt baptizandi. Quando vero non est certum Ministro, esse duas personas, vel quia duo capita, et duo pectora non habet bene distincta, tunc debet unum ex iis absolute baptizari, et postea aliud sub conditione *si non es baptizatus*, etc.

61. Quamvis autem valide, illicite tamen baptizarentur, invitis parentibus, filii infidelium; vel enim iis subtraherentur, vel non. Si primum, iis fieret

injuria. Si alterum, baptismus manifesto periculo profanationis, baptizatus manifesto apostasiae periculo exponeretur. Excipitur tamen 1., si infans esset in morali mortis periculo, quia tunc nec subtraheretur parentibus, nec baptismus exponeretur periculo profanationis, et aliunde urgeret charitatis praeceptum, ac solum caute fieri deberet. 2. si habens rationis usum ipse petat; et in dubio de rationis usu, docet Ben. XIV., baptismum esse differendum, donec de illo constet, et interim puerum evocandum a parentibus, et in loco tuto custodiendum (*Instr. ad. Vicesger*; *quae incipit*: *Postremo mense n.* 3.). Eo autem magis, ut idem docet n. 29., debet ab iis segregari, ut a periculo perversionis avertatur, postquam baptizatus fuerit. Nec in praefato casu urget principium, quod *in dubio melior est conditio parentum possidentium potestatem supra filium*; cum potius urgeat aliud principium, quod *in dubio magis innocenti, quam nocenti favendum est.* Ob quod postremum principium excipitur 3., si unus ex parentibus consentiat; quia nempe ejus voluntas in favorem prolis praeferenda est voluntati alterius in prolis perniciem. Quod et dicendum, si mortuo patre, Avus paternus consentiat in baptismum pueri, matre reluctante, ut confirmat quoque Ben. XIV. l. c. n. 17. ex Greg. XIII. 4. si infans juste, vel injuste sit positus extra curam parentum, nec timor adsit, quod ad eos sit reversurus; sicut etiam si agatur de perpetuo amente: quia in utroque casu cessaret perversionis periculum. 5. filios infidelium in bello captos, vel quorum parentes sint mancipia Christianorum, utique pos-

se baptizari invitis parentibus, ex eo patet quoad illos, quod lege belli captivi non amplius ad parentes, sed ad dominos pertinent: quoad hos, quia Domini eamdem potestatem, quam habent in parentes, habent quoque in eorum filios. 6. baptizari etiam posse, invitis parentibus, filios Apostatarum, et haereticorum, communis est sententia ap. DD., quia Apostatae, et haeretici sunt ipsimet Ecclesiae subditi per baptismum acceptum. Quare excipiuntur a Lig. n. 127. illorum haereticorum filii, apud quos baptismus invalide confertur, de quibus diximus n. 58., cum eorum filii habendi sint, tamquam filii infidelium. Advertendum demum cum eodem n. 132., quod pro filiis Hebraeorum adest Const. Julii III. relata a Ben. XIV. l. c. n. 27., qui imposuit suspensionem baptizantibus filios Hebraeorum, reluctantibus parentibus. Quod et confirmavit S. C., statuens nullo modo baptizandos filios Hebraeorum sine ipsorum consensu, donec ad legitimam aetatem perveniant.

62. Observanda nunc videamus in baptismi administratione. Et 1.° non est nimis differendus, cum infantibus, ut ait Cat. Rom., *propter aetatis imbecillitatem infinita pene pericula impendeant.* Qua super re docet Lig. n. 118., ut probabilius, dilationem usque ad 10., vel 11. dies excusari a mortali: in Dioecesi tamen Neapolitana ex Constitutionibus Synodalibus parentes, qui a Parochis admoniti illum post 8. diem distulerint, excommunicationis sententia ipso facto plectuntur. 2.° extra casum necessitatis non est, nisi in Ecclesia, ministrandus. Quamvis tamen ex *Clem. unica de Bapt.* excipiantur tantum filii Regum, vel

Principum: docet tamen ibidem Lig., quod ubi introducta est consuetudo domi baptizandi filios Magnatum, non est haec facile improbanda. Additque n. 142., quod casus necessitatis, in quibus licet Baptismum extra Ecclesiam ministrare, nedum est periculum mortis, in quo infans videatur, sed etiam infamiae parentum aut alterius gravis damni, in quo etiam casu putat Croix cum aliis posse domi baptismum solemniter conferri. 3.° quod baptismus ob necessitatem collatus in alia parte principali, quam in capite, puta in scapulis, humeris, vel pectore, eoque magis in parte minus principali, prout si digitus, manus, vel pes ablutus fuerit, post perfectam pueri nativitatem saltem repetendus est sub conditione; sicut etiam si aqua tantum vestes, aut crines baptizati tetigerit; baptismus enim sic collatus saltem est dubius; *quia*, ut D. Th. disserit 3. p. q. 68. a. 11. ad 4., *in nulla exteriorum partium integritas vitae ita consistit, sicut in capite.* Baptizatus autem in capite, nec etiam sub conditione est rebaptizandus, quidquid dicant Sambov., et Pontas, negantes, quod sit natus, qui solum caput extra matrem extulerit; idque Lig. n. 107. ut certum definit, ac probat tum relatis D. Th. verbis, quibus S. D. subdit, quod *quacumque alia parte corporis abluta, puer post perfectam nativitatem baptizandus est sub forma*: *Si non es baptizatus etc.*: non igitur abluto capite: tum ex Rit. Rom., ubi: *Si infans caput emiserit, et periculum mortis immineat, baptizetur in capite; nec postea, si vivus evaserit, erit iterum baptizandus.* 4.° quod mortua matre praegnante, debetur quidem statim os ejus aperiri, ne infans suffo-

cetur, ac fieri incisio ad illum baptizandum: non tamen licet incidere ventrem matris proxime moriturae, ut infans baptismum recipiat, non enim licet quemquam occidere pro salute spirituali proximi. Putat quidem Cont. Tourn. ex judicio Medicorum, bene posse matrem incidi, et infantem baptizari sine morte matris. Hoc tamen periculum, ait Lig. n. 106., quomodo vitari possit in tam gravi incisione, non video: videant periti. Quo periculo posito, nec licet matrem tali periculo exponere; nec ipsa tenetur, vel potest suo positivo consensu ad incisionem concurrere. Valde autem probabile est, ut idem docet, quod si mater gravida sit per sententiam ad mortem damnata, quamvis ex *l. Praegnantem D. de Poenis* debeat puerperii tempus expectari, si tamen censetur infans certe decessurus priusquam perveniat ad lucem, licite potest secari venter matris, anticipando supplicium, quia alias dilatio, quae in bonum prolis conceditur, vergeret in illius detrimentum.

63. In ejus demum administratione observandi sunt ritus ab Ecclesia instituti: quod et faciendum in omnium Sacramentorum administratione, diximus ex Trid. n. 32. Ritus autem illum ministrandi juxta diversarum Ecclesiarum praxim triplex a DD. fertur, per immersionem nempe, aspersionem, et infusionem. Et quidem Christum baptizatum a Joanne fuisse per immersionem, constat ex 3. *Matth.*, ubi: *Baptizatus. . . Jesus, confestim ascendit de aqua.* Per immersionem quoque collatum fuisse baptismum Apostolorum tempore, patet ex c. 8. Act., ubi dicitur de Philippo, et Eunucho, quod *descenderunt uterque*

in aquam. Ad quod etiam referuntur Ap. verba ad Rom. 6. *Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus; consepulti enim sumus cum ipso per baptismum.* Certum tamen est, illam neque necessitate Sacramenti, neque necessitate praecepti Divini necessariam esse, ac sufficere infusionem, vel aspersionem, modo adsit quaedam successio, ac fluxus aquae, cum non dicatur ablutus ille, super quem una, aut altera pluviae gutta decidit: maxime quia dum fit in capite, ubi absolute conferendus est baptismus ob rationem, quam D. Th. *q.* 66. *a.* 7. *ad* 3. affert, quia caput illud est, *in quo manifestatur principium animalis vitae*, ablutio affinis est immersioni, quia videtur homo obrui aquis, dum in quadam copia super caput ejus defluunt. Quod autem immersio nec necessitate praecepti Divini sit necessaria, ac sufficiat infusio, vel aspersio juxta quod supra dictum est, constat ex Traditione Ecclesiae, quae a primis saeculis semper probavit Baptismum infusione collatum, quo modo baptizabautur praesertim Confessores in carceribus detenti, vel etiam aspersione.

64. Quibus positis, per infusionem illum conferri, praecipit Rit. Rom.: et quamvis unica ablutione collatus proculdubio esset validus, ut omnes docent ex D. Th. *q.* 66. *a.* 8., *et ex c. de trina de consecr. D.* 4., ubi D. Greg. id ut certum habens, ait: *Reprehensibile esse nullatenus potest, infantem in baptismate vel ter, vel semel immergere*, ideoque in Ecclesia una tantum immersio aliquando fuit adhibita; quia tamen a Rituali trina praecipitur, praeceptique materia est satis gravis (cum enim baptismus confera-

tur in nomine Trinitatis, congruum est, ut trina ablutione conferatur), ritum proinde hujusmodi servandum esse sub mortali, docet Lig. n. 107, ; quod et confirmat ex D. Th., qui l. c. loquens de trina immersione, quae tunc solebat fieri, haec habet: *Et ideo graviter peccaret aliter baptizans, quasi ritum Ecclesiae non observans.* Ita autem forma pronuntiari debet, ex ipso Rit., ut Minister dicens: *Ego te baptizo in nomine Patris* ✠, fundat primo, *et Filii* ✠, fundat secundo, *et Spiritus* ✠ *Sancti*, fundat tertio: vel saltem, ut idem Lig. docet, ita pronuntiari debet, ut non perficiatur, antequam trina fiat ablutio.

65. Aquam vero adhibendam consecratam esse debere, ritus quoque est ab Ecclesia praeceptus, et obligans sub gravi, ut diximus n. 47., sicut etiam sub gravi obligant unctiones Chrismatis, sine quibus proinde, seclusa necessitate, baptizare mortale esset: immo et mortale, ut addit Lig. n. 141., baptizare cum Chrismate alterius anni, ex *C. Si quis de alio, D.* 4., ubi damnatur de mortali, *si quis de alio Chrismate, quam de illo* (scilicet novo) *baptizare, nisi praeoccupata morte, tentaverit.* Quid autem per illa verba *nisi praeoccupata morte* significetur, explicat Rit. Rom. dicens: *Veteribus oleis, nisi necessitas cogat, ultra annum non utatur, ac si deficere videantur, et Chrisma, et oleum benedictum haberi non possit, aliud oleum de olivis non benedictum adjiciatur, sed in minori quantitate.* Quod si annus sit completus, et Parochus novum oleum non acceperit, docet Lig. l. c., quod si oleum novum expectandum esset per notabile tempus, puta per 10., vel 11. dies, tunc licite

poterit conferri baptismus sine unctionibus, et postea unctiones suppleri, quia talis dilatio sat justa est causa, ut possit sine illis ministrari Baptismus. Secus si oleum intra praedictos dies facile haberi possit, tunc enim, docet, non posse sine necessitate, vel saltem sine gravi causa baptismum separari ab unctionibus, quae ex gravi quidem praecepto concomitanter cum baptismo debent adhiberi. Nec unctiones praedictae, sicut et aliae baptismi coeremoniae omitti queunt, propterea quod baptismus ob necessitatem fuerit jam domi collatus, hac enim cessante, supplendae solemniter sunt in Ecclesia, ex *C.* 1. *de Sacr. non iter.* Et quidem, ut Lig. addit n. 144., sub gravi; docens quoque, esse supplendas in casu etiam, quo baptismus collatus deprehendatur postea fuisse invalidus, quia enim (ait) coeremoniae sunt accessoriae ad baptismum, semper proinde ac baptismus confertur, illum concomitare debent.

66. Praescribitur quoque in Rit. Rom. nomen alicujus Sancti baptizando imponere: quia tamen hoc non est praeceptum, sed tantum monitum, ut patet ex ipsis verbis: *Curet* (Parochus), *ne obscoena, fabulosa, aut ridicula, vel inanium Deorum, vel impiorum Ethnicorum hominum nomina imponantur, sed potius, quatenus fieri potest, Sanctorum*; quod et monuit S. Pius V., et Paulus V.; non peccaret proinde, ut docet Croix, nec Lig. reprobat n. 145., qui nomen non Sancti imponeret; cui tamen a Parocho facile adquiescendum non est: ac illud, sicut et aliud SS. proculdubio mutari posse in Confirmatione, docet ibid. Lig. Patrinum tamen, qui potest etiam du-

plex esse, unus, et una, in illo adhibere, non est monitum, sed praeceptum, utque scribit Lig., una ex praecipuis baptismi coeremoniis, adeo ut peccaret graviter Parochus baptizans solemniter sine Patrino: ac tantum de praecepto non est in baptismo privato, in quo bene adhiberi potest, et praestantius adhibetur, sed non est necessario adhibendus. Immo Parochus ex eodem Lig. graviter etiam peccaret admittendo ad baptismum Patrinum a parentibus non designatum, quem tamen valide mutaret, quia ex Trid. sufficit designatio Parentum, vel Parochi: sicut etiam si plusquam duos adhiberet, vel ambos mares, aut ambas foeminas; si patrini essent diversi sexus ac infans, quia in utroque casu multiplicarentur cognationes, quod prohibere voluit Trid. (n. 146. 154. 155. et 159.). Admittendo tamen duos patrinos, vel duas commatres ejusdem sexus cum infante verius ex eod. peccaret tantum venialiter. *Ille autem* (ait D. Th., 3. p. q. 67. a. 8.), *qui suscipit aliquem de sacro fonte, assumit sibi officium Paedagogi; et ideo obligatur ad habendam curam de ipso*, ad illum nempe, ut communiter DD. tradunt, instituendum circa fidem, et mores. De qua tamen obligatione addit S. D., quod *inter Catholicos satis possunt ab hac cura excusari, praesumendo, quod a suis parentibus diligenter instruantur. Si tamen quocumque modo sentirent contrarium, tenerentur secundum suum modum saluti spirituali filiorum curam impendere* (3. *p. q.* 67. *art.* 8.).

67. Effectus vero hujus susceptionis est parere cognationem spiritualem inter susceptorem, et susceptum, susceptique patrem, et matrem: quam pro-

babilius parit ex Lig. n. 152., tametsi aliquis ex errore susciperet unum infantem pro alio, praeterquam si patrinus expressam haberet intentionem non suscipiendi alium, nisi quem intendit suscipere; non habendo enim hanc expressam intentionem, habet jam exercite intentionem suscipiendi illum infantem. Nec obstat quod dicitur c. 2. *de cogn. spir.*, non arceri a petitione debiti conjux, quae ignoranter levavit filium mariti: haec enim juris dispositio, in casu proposito non procedit, quia aliud est cognatio, aliud impedimentum petendi debitum, nec verum est, quod quidquid dirimit Matrimonium contrahendum, impedit etiam illud jam contractum, cum nulla poena incurratur, ut compertum est apud omnes, nisi in jure sit expressa. Ita autem jus disposuit, quia impedimentum petendi debitum non decebat contrahi sine conjugis culpa.

68. Bene tamen, ut praedicta cognatio contrahatur, necesse est 1.°, ut patrinus teneat, aut tangat infantem, dum baptizatur, vel statim levet, aut suscipiat de Sacro fonte, vel de manibus baptizantis; idque tactu physico, tam si loquatur de infantibus, ut communiter docetur, quam si loquatur de adultis, ut probabilius contra alios docet Lig. n. 148., tum quia talis tentio expresse a Sacris canonibus requiritur, tum quia, ut ait D. Th. 3. p. q. 72. a. 10., non est haec coeremonia inducta *ad supplendam imbecillitatem corporis*, *sed ad significandam imbecillitatem animae*. 2.° ut baptismus sit solemnis, secus namque contrahit quidem cognationem baptizans, ex probabiliori tamen sententia, ut eam vocat Lig. n. 149.,

illam non contrahit patrinus, qui in eo adhibeatur, declaravit enim Trid. *sess.* 24. c. 2., illam solum contrahi a suscipientibus *de sacro fonte*, de quo suscipitur infans in baptismo solemni, non autem in privato. Objicit quidem Suaresius, quod Trid. non derogavit juri antiquo, vi cujus omnes suscipientes cognationem contrahebant. Respondet tamen Lig. 1.°, nullibi inveniri, quod juxta jus antiquum in baptismo etiam privato contrahebatur cognatio a suscipientibus. 2.° quod etsi ita antiquitus fuisset, Trid. tamen *volens providere* (sunt Concilii verba), *ne propter multitudinem prohibitionum multoties in casibus prohibitis ignoranter contraheretur Matrimonium*, derogavit juri antiquo, decrevitque, ut praefata cognatio non contrahatur, nisi a suscipientibus de sacro fonte, idest in baptismo solemni. 3.° ut infantem suscipiat nomine proprio; quidquid enim dicat Concina cum quibusdam paucis, juxta communiorem tamen sententiam, quae a Lig. n. 153. vocatur absolute verior, qui suscipiat infantem nomine alterius, non ipse, sed principalis cognationem contrahit, quia ex Trid. is contrahit cognationem, qui est a parentibus ad suscipiendum designatus. Nec obstat, quod principalis de facto non suscipiat, quia juxta regulam juris quidquid aliquis per alium faciat, per seipsum facere videtur. Qua super re haec quoque affertur S. C. Decl. *Procurator non contrahit cognationem spiritualem sibi, sed mandanti.* 4.° ut non sit alius ultra designatos, decrevit namque Trid. *sess.* 24. c. 2. *de Ref.*, *quod si alii ultra designatos baptizatum tetigerint*, *cognationem spiritualem nullo pacto contrahent*,

Constitutionibus in contrarium non obstantibus. Si tamen nullus sit designatus, et plures tangant, ex Declar. S. C. omnes contrahunt: licet enim Trid. praescribat, ut Parochus sciscitetur a parentibus, quem designarint, ac puniatur, si secus fecerit, non ait tamen, susceptionem esse nullam, si nemo fuerit designatus, nec juri antiquo derogavit, juxta quod omnes tangentes cognationem contrahere, constat ex *c. fin. de cognat. spirit. in* 6., ubi: *Quamvis non plures, quam unus vir, vel una mulier accedere debeant ad suscipiendum de baptismo infantem, si tamen plures accesserint, spiritualis cognatio inde contrahitur.* Ob quam rationem docet quoque Lig. n. 154. quod si adsint patrini designati, sed alius praeter eos tantum tangat, hic solus cognationem contrahit; decrevit enim Trid., non contrahere cognationem eos, qui *ultra*, non vero eos, qui *praeter* designatos tetigerint. *Ultra* autem importat, quod tangant designati, et non designati, in quo casu Conc. decrevit, quod non designati cognationem non contrahant. *Praeter* vero importat, quod tangant tantum non designati, in quo casu non declaravit Conc., quod non contrahant cognationem, ideoque possidet jus antiquum.

69. Ex eo autem, quod diximus n. 67. *ex c.* 2. *de cognat. spir.*, non arceri a petitione debiti conjugem, quae ignoranter levaverit filium mariti, suboritur quaestio, an in baptismo privato parentes ex industria, et praeter necessitatem filium baptizantes, vel in solemni illum ex industria suscipientes, contrahant impedimentum petendi debitum? Diximus *ex industria, et praeter necessitatem*; certum namque est, illud non

contrahere, si ex ignorantia id fecerint, ut habetur ex *cit. c.*; vel si id fecerint in necessitate, ut habetur ex *c. Ad limina* 7. *causa* 30. *q.* 1., ubi: *Inculpabile judicandum, quod necessitas intulit.* Respondemus porro cum Lig. n. 150., peccare quidem graviter parentes, qui ex industria, et praeter necessitatem filios baptizent, ut patet ex *c. De his* 7. *dict. q.* 1.; satis probabiliter tamen non contrahere impedimentum petendi debitum: ut enim disserit, quamvis canones antiqui separationem inter tales conjuges jusserint, correcti postmodum fuere a *C. Si vir* 2. *de cogn. spir.*, ubi dicitur, *quod sive ex ignorantia, sive ex malitia filium suum de Sacro fonte susceperint, non sunt ab invicem separandi, nec alter alteri debitum debet subtrahere.* Ubi notandum, non dici, quod tantum nocens teneatur innocenti debitum non negare, sed verba relativa usurpari mutuam obligationem inducentia. Hinc si utraque pars tenetur debitum reddere, utraque etiam potest petere, nam si nocens petere non posset, neque pars innocens posset reddere, cum enim nocens amiserit jus petendi, semper proinde ac innocens debitum negare posset absque gravi incommodo, particeps ipsius peccati fieret illud reddendo.

70. Haec igitur scitu necessaria quoad patrinos: quorum munus demum prohibetur suscipere 1.° cujusvis Ordinis Regularibus, viris, ac foeminis, utpote a saeculo segregatis, ex *c. Non licet* 103. *de Consecr. dub.* 4., et ex Rit. Rom. *tit. de Patrin.* Regulares tamen facti Episcopi non prohibentur suscipere. 2.° parentibus respectu filiorum, nisi in necessitatis casu.

3.° Infamibus. 4.° Apostatis, et haereticis. Catholicis tamen licet ob rationabilem causam haereticorum filios suscipere, modo per hoc nullo modo approbentur eorumdem ritus. Quidquid tamen aliqui dicant, *nihil prohibet* (ait D. Th. in 4. dist. 42. q. 1. a 3. ad 4.), *quin vir, et uxor simul aliquem de sacro fonte suscipiant.*: saltem, ut addit Lig. n. 157., quia hoc consuetudine est introductum.

71. Parochus demum post datum baptismum debet 1.° diligenter adnotare in libro diem, et horam nativitatis, nomen baptizati, ejusque parentum, et susceptorum; sique infans fuerit expositus, ubi ille repertus fuerit; nec non si baptismus collatus fuerit sub conditione, vel sine coeremoniis: ejusque librum, ajunt DD., in quocumque Tribunali fidem facere. 2.° Patrinos monere de cognatione contracta, eorumque obligatione. 3.° Matribus, ac nutricibus inculcare, ne cum infantibus decumbant, ob periculum suffocationis. Qua super re notat tamen Lig. n. 160. cum Tourn., Barb., Anacl., Piringh., etc. communiter, quod *si talis cubatio omni culpa caret, ut contingere potest, si v. gr. lectus est latus, puer implacabilis, qui aliter a frigore defendi non possit, et mulier in somno suum retinere soleat situm, ac locum, omnis poena cessabit.*

TRACTATUS III.

DE CONFIRMATIONE.

CAPUT I.

De institutione, et veritate hujus Sacramenti; ejusque materia, et forma.

72. Et 1.° definitur *Sacramentum a Christo institutum, quo per unctionem chrismatis sub praescripta forma verborum factam ab Episcopo in fronte baptizati confertur gratiae augumentum, et singulare robur ad fidem firmiter tenendam, et intrepide profitendam.* Adumbratum autem fuerat istud Sacramentum, ait Conc. Senonense, et quodammodo indigitatum, cum Christus parvulis manus imponebat. Institutum vero, ut D. Th. opinatur, ante Passionem, promittendo Apostolis Spiritum Sanctum, quem iis nonnisi post Ascensionem misit, juxta illud Jo. 7. *Nondum enim erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus.* Illum porro iis promisit post ultimam coenam, ut patet ex c. 14. ejusdem Jo.: ex quo sequitur, nocte coenae illud instituisse, quemadmodum habetur et in ep. 2. Fabiani Papae, et in aliis Traditionis monumentis; unde etiam manavit consuetudo Sacrum Chrisma conficiendi in die Coenae Domini.

73. Probatur vero esse Sacramentum ex eo, quod si in eo habetur ritus sensibilis, gratiae per illum collatio, ac Christi institutio, habetur quoque in eo om-

nis Sacramenti ratio, ideoque dicendum est Sacramentum. Praefata autem omnia in eo habentur: *ritus sensibilis*, idest manuum impositio per Chrismationem, ut infra dicemus, cum prolatione verborum: *Signo te signo Crucis* etc. *Gratiae per illum collatio*, ex Act. 8., quod postquam a Philippo in Samaria multi essent baptizati, missi ad eos Petrus, et Joannes *oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum. Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum.*. Et c. 19. dicitur, quod Corinthi *cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus super eos, etc. Christi institutio*, tum quia illa manuum impositio poteratne gratiam conferre, nisi ex Christi institutione, qui solus gratiae auctor est, et collator? Tum quia si magnis itineribus se Apostoli ob id committebant, hoc ritu absque Christi institutione usos fuisse, credi non potest. Patet autem hanc manuum impositionem aliam fuisse ab ea, quae in Sacramento Ordinis adhibetur, ex eo quod omnibus baptizatis adhibebatur.

74. Quaenam autem sit ejus materia, et quaenam forma, quaestio est apud DD. non parum agitata. Alii enim ajunt solam manuum impositionem esse adaequatam materiam hujus Sacramenti; formamque esse solam orationem, quae praecedit unctionem: quorum sententiam vocat Lig. n. 167. omnino falsam. Alii docent, tum impositionem manuum, quae unctionem praecedit, tum unctionem ipsam esse materias partiales; formamque coalescere ex dicta oratione praecedenti, et ex verbis unctionem concomitantibus. Ita nempe prae aliis *Juenin*, *Nat. Alex.*, *Gotti*, *et Tourn.*

Alii demum, docent, manus impositionem per Chrismationem ipsam, sive unctionem Chrismatis in fronte factam, esse materiam adaequatam, et totalem hujus Sacramenti; formam vero adaequatam pariter, et totalem esse verba, quae Episcopus profert chrismando: *Signo te signo Crucis, et confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*: estque haec sententia, quam Lig. n. 164. amplectitur, vocatque certissimam, et tutam, praeeuntibus prae aliis *D. Th.*, *D. Bonav.*, *Bellarm.*, *Suares.*, *Cabass.*, *Berti*, etc. Probatur autem 1.° ex Flor. in Decr. unionis cum Armenis: *Secundum Sacramentum est Confirmatio, cujus materia est chrisma confectum ex oleo, et balsamo per Episcopum benedicto. Forma autem est: Signo te etc. Ordinarius Minister est Episcopus; et cum caeteras unctiones simplex Sacerdos valeat exhibere, hanc solus Episcopus debet conferre, quia de solis Apostolis legitur, quorum vicem tenent Episcopi, quod per manus impositionem Spiritum Sanctum dabant. Loco autem illius manus impositionis datur in Ecclesia Confirmatio.* Cum autem ibi dicatur, nullam aliam esse formam, quam supra descriptam, dicendum profecto, quod omnino excludatur omnis alia forma praeter illam, aliter Decretum non recte, quia non integre, Ecclesiam docuisset: cumque inter materiam, et formam Sacramentorum talis adesse debeat conjunctio, ut unum morale signum constituant, omnis quoque excludatur materia, praeter manus impositionem, quae ipsa chrismatione adhibetur. 2.° ex Innoc. III. *C. unic. de sacra unct.* §. *Per frontis*, ubi: *Per frontis Chrismationem manus*

impositio designatur, quae alio nomine dicitur Confirmatio, quia per eam Spiritus Sanctus ad augumentum datur, et robur. Unde cum caeteras unctiones simplex Sacerdos possit exhibere, hanc nonnisi Ep. debet conferre, quia de solis Ap. legitur, quorum Vicarii sunt Episcopi, quod per manus impositionem Spiritum Sanctum dabant, cujus adventus per unctionis ministerium designatur. Cum autem dicatur, per frontis chrismationem manus impositionem designari, eamque esse Confirmationem, per quam Spiritus Sanctus ad augumentum datur, et robur, quid clarius, quam hujus Sacramenti materiam non esse, nisi manus impositionem per chrismationem ipsam; formam vero Episcopi verba, quae chrismando profert, cum illa sit cujusvis Sacramenti forma, quam Minister profert adhibendo materiam? 3.° ex Ben. XIV. Const. *Ex quo primum*, ubi: *Quod itaque extra controversiam est*, *hoc dicatur*: *Nimirum in Ecclesia Latina Confirmationis Sacramentum conferri adhibito sacro Chrismate, sive oleo olivarum balsamo commixto, et ab Episcopo benedicto, ductoque signo Crucis per Sacramenti Ministrum in fronte suscipientis, dum idem Minister formae verba pronuntiat.* Ubi notandum, non fieri mentionem de alia materia, nisi de unctione chrismatis per manum Episcopi, nec de alia forma, quam de verbis prolatis ab Episcopo, dum ungit; ac extra controversiam esse, quod ita in Ecclesia Latina Sacramentum Confirmationis confertur. Cumque Pontifex in hac Const. totam Eccleeiam doceat in re, quae ad fidem pertinet, quis tam audax, ut ejus Declarationi non acquiescat? Accedit et Concilium Bituri-

cense sub anno 584., et anno sequenti approbatum, ut patet *ex tit.* 20. *de Conf. can.* 3., ac dein etiam a Xisto V., ubi dictum fuit: *Nullam in administratione hujus Sacramenti formam debitam, et qua uti consuevit Ecclesia, esse, quam signo te etc.* 4.° ex Catech. Rom., qui relatis verbis *Signo te etc.*, subdit, *hanc esse perfectam, et absolutam hujus Sacramenti formam*; *quodque auctoritas Ecclesiae Catholicae non patitur nos ea de re quicquam dubitare.* Qua super re advertatur demum cum Bellarm., *de Conf. c.* 2., *ipsam unctionem, et signationem manus quoque impositionem rectissime dici. Unde Marci* 7. *cum postulassent quidam, ut Dominus manus imponeret Lunatico, ille id fecit, nam digito tetigit linguam, et aures ejus.* Quod si alicui illa verba Actuum facessant supra relata: *Oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum* (8.): respondet Suar. *Disp.* 33. *sect.* 6., per illa vel non significari formam, sed praeambulam orationem, quam praemittebant Apostoli, ut baptizati Spiritum Sanctum reciperent, ut etiamnum quoque fit ab Episcopis: vel dicendum, quod forma unctionis: *Signo te etc.* orationis nomine significetur, quia virtualem deprecationem ipsa continet, quatenus Divinae virtuti, et promissioni innititur. Ad quod addit Bellarm. c. 10. obj. 1.: *Nam semper a Deo expectatur, et petitur principalis operatio.* Ipsos autem Apostolos unctionem quoque adhibuisse, probavimus n. 13.: cui accedit, quod cum Ecclesia semper tenuerit a prioribus Aerae Christianae saeculis, Confirmationem unctione perfici, nec id Conciliis institutum, sed semper retentum fuerit, hinc

juxta D. Aug. regulam *nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur.*

75. Ex dictis autem infertur 1.°, Confirmationem pennicillo, vel medio alio instrumento peractam irritam esse, quia deesset immediata manus impositio, nec nisi improprie impositio illa mediata impositio diceretur. Nec paritas hic locum habet, quod Extrema unctio valide etiam ministratur medio instrumento, ut suo loco dicetur. Non enim in Extrema unctione requiritur ad Sacramenti valorem impositio manus, cum nullatenus sit ejus materia, bene autem in Confirmatione, utpote materia Sacramenti. 2.° irritam quoque esse Confirmationem, omissis in prolatione formae vel *Signo*, vel *confirmo*, vel *Te*, vel *signo Crucis*, vel *Chrismate salutis*, vel demum expressio Trinitatis, quippe quod forma substantialiter variaretur. Objicitur quidem, quod in Ecclesia Greca ministratur Confirmatio sub forma: *Signaculum doni Spiritus Sancti*, ideoque absque expressione Personarum Trinitatis. Respondet tamen *Juenin.*, *Tourn.*, aliique, non minus apud Graecos, quam apud Latinos in Confirmationis collatione Trinitatis personas invocari, cum hac tantum differentia, quod in Ecclesia Latina invocantur post unctionem, in Graeca invocantur antea in oratione praecedenti. Substitutis tamen *corroboro* pro *confirmo*, vel *sanctificationis* pro *salutis*, valeret Sacramentum, ut D. Th. docet, quia formae variatio esset tantum accidentalis. 3.° irritam quoque esse Confirmationem, saltem ut docet probabilior sententia, quam cum D. Th., et Bellarm. Lig. sequitur n. 162., factam absque balsamo, cum

ejus materia juxta allatum Flor. Decr. sit *Chrisma confectum ex oleo, et balsamo*. Quod confirmatur etiam ex Innoc. III. *c. cum venisset unic. De sacra unct.*, ubi cum Pontifex distinxisset tria oleorum genera, Catechumenorum, Infirmorum, et Chrisma, *quod* (ut ait) *ex oleo fit, et balsamo, per oleum enim nitor conscientiae designatur, per balsamum odor famae exprimitur*, vocat deinde *in §. Per frontis eod. cap.* Sacramentum Confirmationis *Chrismationem*, non propter aliud quidem, nisi propter chrisma, quod in eo adhibetur. Quod si idem Pontifex interrogatus de Diacono ordinato absque impositione manuum, et de alio confirmato cum solo oleo benedicto, respondit: *In talibus nihil esse iterandum, sed caute supplendum, quod incaute fuerit praetermissum* (*cap. Pastoralis de Sacr. non iter.*); ex quo sequi videtur, non esse balsamum de necessitate Sacramenti, alias namque totum Sacramentum iterari debuisset: respondet Lig., quod Pontifex dicendo *supplendum praetermissum*, non voluit suppleri simplicem balsami, sed totam Chrismatis unctionem; ideoque dixit non iterandam, quia, ut ait Glossa ibidem, *non dicitur iteratum, quod prius actum non fuit*. Certe in praxi absolute conferendum est hoc Sacramentum cum oleo, et balsamo, alias namque saltem esset dubium: ideoque datum cum solo oleo, sub conditione saltem iterandum esset. Sicut caeterum, quia sententia opposita est etiam probabilis, docet proinde idem Lig., quod in mortis articulo bene posset Confirmatio conferri sub conditione cum solo oleo in defectu chrismatis; magna enim hujus Sacramenti utilitas justa esset causa illud sub conditione

ministrandi. Sufficit autem balsamum cujuscumque regionis, modo in ea sit quantitate, ut det sui odorem, quamvis non misceatur cum singulis olei partibus. 4.° irritam quoque esse Confirmationem, ut communior sententia docet cum D. Th. 3. *p. q.* 73. *a.* 3., collatam cum chrismate, quod non fuerit ab Episcopo benedictum: cumque agatur de valore Sacramenti, addit proinde Lig. n. 163., quod saltem, ut tutior, est sequenda. Ratio autem est eadem, ac supra allata, quia nempe Confirmationis materia ex relato Flor. Decr. *est chrisma confectum ex oleo, et balsamo per Episcopum benedicto.* Omnino autem dicendum, quod esset irrita, ut idem Lig n. 163. addit, si chrisma nec etiam a Sacerdote ex concessione Pontificis esset benedictum: declaravit namque Clemens VIII., ut videre est apud Ben. XIV. *l.* 7. *de Syn. c.* 14. *n.* 4., Extremam unctionem collatam cum oleo a Sacerdote absque ulla concessione Pontificis benedicto, irritam esse. Ergo et Confirmatio similiter collata, cum eadem, et potior ratio urgeat. 5.° non mirandum, quod Patres modo dixerint, dari in Confirmatione Spiritum Sanctum per impositionem, modo per unctionem; ut enim dictum est, simul ac semel in collatione hujus Sacramenti habentur et unctio, et impositio; et unctio scilicet imponendo manum, et impositio manus ungendo. 6.° tam materiam, quam formam Confirmationis optime congruere cum fine hujus Sacramenti: per manus enim impositionem Dei protectio significatur, juxta illud apud Is. 49.: *Sub umbra manus suae protexit me*: qua confirmatus specialiter indiget ad fidem firmiter tenendam, et intre-

pide profitendam. Per chrisma vero, quatenus ex oleo confectum, quod natura sua pingue est, et diffluens, significatur gratia Spiritus Sancti, quae a Christo capite in nos effunditur; de qua idcirco ait Regius Psaltes Ps. 44.: *Unxit te Deus oleo laetitiae prae consortibus tuis*: quatenus autem confectum ex balsamo, significatur, quod confirmatus Christi bonus odor esse debet in omni loco, juxta Ap. 2. *ad Cor.* 15.; per balsamum namque, ut supra diximus cum Innoc. III., *odor famae exprimitur*. Quamobrem etiam ungitur in fronte ad modum Crucis, eique dicitur: *Signo te signo Crucis*: potius enim, quam de Cruce Christi erubescere, debet immo confirmatus se de ea gloriari.

CAPUT II.

De praecepto, ac subjecto Confirmationis; modo illam conferendi, ac suscipiendi; ejusque effectibus.

76. Et quoad 1., praeceptum nempe Confirmationis, habetur istud ex Christi verbis ad Apostolos, et discipulos, cum ascensurus ad Coelos, *praecepit eis ab Jerosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris* (Act. 1.): cui praecepto, ut subditur, omnes et viri, et mulieres paruere. Confirmatur autem ex vigilantia, ac sollicitudine Apostolorum, ut eorum Actus contestantur c. 8., et 10., ne cuiquam ex baptizatis hoc subsidium deesset: utique profecto ob praeceptum Divinum illud conferendi, ac suscipiendi, haec enim duo sunt inter se correlativa. Ac

demum, ut advertit Lig. n. 182., ex Const. Ben. XIV., *Etsi Pastoralis*, ubi: *Monendi sunt* (omnes) *ab Ordinariis locorum, eos gravis peccati reatu teneri, si, cum possint, ad Confirmationem accedere, renuunt, ac negligunt.* Habendum proinde procul dubio est, omnes sub gravi teneri, cum commode possunt, ad Confirmationem suscipiendam.

77. Est vero hujus Sacramenti ordinarius Minister solus Episcopus, ex relatis Flor., et Innoc. verbis n. 74.; quibus accessit Trid. sess. 7. can. 3.: *Si quis dixerit Sanctae Confirmationis ordinarium Ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem, anathema sit.* Diximus *ordinarius*; declaravit enim Ben. XIV. Const. *Eo quamvis tempore*, quod potest Summus Pontifex facultatem confirmandi simplici etiam Sacerdoti ob necessitatem impertiri; quod in more docet positum fuisse et a D. Greg. M., et ab aliis Pontificibus: quare et ipse indulsit, ut Sacerdotes Missionarii Cophtis pro necessitate illam ministrarent. Ex eo autem, quod Episcopus est ordinarius hujus Sacramenti minister, sequitur, quod sub gravi tenetur Dioecesim circumire ad confirmandum, nisi moralis impossibilitas eum excuset. Non peccat tamen, si ex juxta causa differat per tres, aut plures annos, ut Lacroix. docet, nec Lig. reprobat n. 175. Subjungens etiam, quod non confirmans moribundum petentem, ex probabili sententia nequaquam peccaret tum ob incommoditatem, tum ob communem praxim.

78. Quamvis autem Episcopus sit ordinarius hujus Sacramenti minister, quod idcirco etiam extra suam

Dioecesim, ac sibi non subditis valide ministraret; confirmans tamen vel sibi non subditos in sua Dioecesi, vel ipsi subditos in Dioecesi aliena absque proprii Episcopi consensu, saltem tacito, graviter peccaret ob jurisdictionis defectum; immo confirmans etiam ipsi subditos in Dioecesi aliena, incurreret quoque suspensionem a Pontificalibus, ex Trid. *sess.* 6. *c.* 5., et ex Decl. S. C. Confirmans vero sibi non subditos in sua Dioecesi absque juxta praesumptione ratihabitionis propriorum Episcoporum nullam incurreret suspensionem, ut gratis afferit Bonac.; adest namque, ut Lig. disserit n. 172., suspensio in Episcopum, qui ad Ordines promoveat alienum subditum, latum tamen discrimen est inter Episcopum ordinantem, et confirmantem, nam Episcopus ordinans debet probare quos ad ordines promovet, sed confirmans confirmat, qui accedunt. Ob praesumptam porro propriorum Episcoporum ratihabitionem, licitum est Episcopis, ut ibid docet Lig., confirmare alienos subditos semper quod non constet oppositum, cum ex una parte credendi sint, velle suas oves non privari hoc Sacramento, et ex altera nullum iis incommodum inde proveniat. Quod tamen indelligendum, dum hoc Sacramentum omnibus indistincte in sua Dioecesi ministrant, utque idem subdit, multo magis, cùm quis non subditus illos petierit ad suscipiendos Ordines cum literis dimissorialibus proprii Episcopi, cui prius confirmatio ministranda sit.

79. Subjectum vero hujus Sacramenti sunt omnes baptizati nondum confirmati. Ut tamen licite confirmentur, debent 1.° rationis usu pollere, nisi ob ra-

tionabilem causam, ut si mortis immineat periculum, vel Episcopus ob longaevam aetatem, vel locorum di stantiam non possit facile consueta aetate chrismare, aliamve similem causam ministretur pueris etiam ante rationis usum, quemadmodum Ben. XIV., postquam Const. *Eo quamvis* prohibuerit illud infantibus ministrare ante usum rationis, docuit post plures annos ab hac Const. emanata *l.* 7. *de Syn. c.* 10. *n.* 5.. Et praecipue illud dandum esse pueris morituris, etsi rationis usum nondum attigerint, confirmat D. Th. 3. *p. q.* 72. *a.* 8. *ad* 4; tum *ut in resurrectione perfecti appareant*, *tum ut confirmati decedentes*, *majorem gloriam consequantur*, *sicut et hic majorem obtineant gratiam*. Ratio autem, cur non obstat rationis defectus, est, quod cum Sacramentum Confirmationis perficiat vitam spiritualem, quae in baptismo incipit, pro omnibus idcirco, prout Baptismus, dicendum est institutum; et sicut aliena voluntate, nempe primi parentis, vitam illam amisimus, sic aliena fide, scilicet Matris Ecclesiae, et reparari, et perfici posse, consequens est. Ob eamdem autem rationem, ob quam ministrari potest infantibus ante usum rationis, ministrari etiam potest perpetuo amentibus, praesertim si aliquando rationis usum habuerint; quemadmodum l. c. confirmat Ben. XIV. Debent item confirmandi, ut licite hoc Sacramentum suscipiant, praeter statum gratiae, cognitionem quoque explicitam habere mysteriorum fidei, ac praeceptorum Evangelii: quibus accedere debet, ut digne illud suscipiant, perseverantia per aliquot dies in oratione, ex illis Christi verbis ad Apostolos, antequam illis misisset Spiritum San-

ctum: *Vos autem sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto* (*Luc.* 24.) Unde Act. 1. legitur, quod omnes antea fuerunt *perseverantes unanimiter in oratione.*

80. Ritus autem Confirmationem conferendi, habetur in Pont. Rom. Qua super re docet Lig. n. 184., sufficere, quod baculus maneat publice expositus, vel a Clerico detineatur, idemque dicendum de mitra, ex Declar. S. C. (immo iis, baculo scilicet, et mitra, omnino omissis in Confirmatione infirmorum, omnino licite in tali necessitate sic confertur ex consuetudine): sicut etiam, secluso scandalo, omissionem alapae numquam esse mortalem, nec ullam esse culpam omissionem cerei, cum sit coeremonia minime praescripta in Pont. Rom., sed solo usu introducta. Item docet, quod, etsi deceat, ut tam confirmans, quam confirmandi sint jejuni, neutrum tamen est de praecepto, sed de consilio; quodque consuetudo obtinuit, ut etiam post prandium hoc Sacramentum ministretur: sicut etiam quidquid sit de antiqua consuetudine circa tempus illud ministrandi, quod mos nunc temporis invaluit, illud conferre quocumque die festivo, aut feriali, et quocumque tempore, matutino, aut vespertino. Quoad locum denique docet, adesse obligationem sub levi illud ministrandi in Ecclesia, nisi rationabilis causa excuset. Quae omnia confirmari possunt ex Rubrica Pontificali, ubi: *Hoc Sacramentum potest conferri minus solemniter quocumque die, hora, et loco, ex causa, ad arbitrium Episcopi.*

81. Sub gravi tamen adhibendus est Patrinus; isque unus, ex *c. fin. de cogn. spir. in* 6., ubi: *Non*

plures, quam unus, vel una accedere debent ad suscipiendum de baptismo ... De confirmatione idem judicium est habendum. Licet autem Trid. duos deinde in Baptismo permiserit, cum tamen nihil hujusmodi disposuerit de Confirmatione, hinc juri antiquo standum est. Debet quoque esse ejusdem sexus, ac diversus a Patrino baptismi; non Monachus, nisi pro Religioso ejusdem Ordinis, vel factus Episcopus; designatus (si tamen confirmandus sit puer) a parentibus, vel ab Episcopo in eorum defectu; ac demum, idque sub gravi, confirmatus ex *C. In baptismate*, 102. *Dist.* 4. *de Consecr.*, ubi: *In baptismate, vel in Chrismate non potest alium suscipere in filiolum, qui non est ipse baptizatus, vel confirmatus.* Quod et repetitur in Pont. Rom. Patrinus vero, ut diximus de Patrino baptismi, cognationem quoque spiritualem contrahit cum suscepto, susceptique Patre, ac Matre: at 1.° modo id non faciat in necessitate: 2.° modo illum tangat, sive, ut praescribitur in Pont. Rom., confirmandus ponat pedem super pedem dexterum patrini, sive, ut hodie receptum est, patrinus manum dexteram super dexterum humerum confirmandi ponat: 3.° ut probabilius censet Lig. n. 186., modo sit ipse confirmatus, tum quia verbum *non potest*, quod in cit. c. usurpatur, reddit actum omnino nullum; tum quia ita declaratum fertur a S. C.; tum quia sicut in Baptismo non contrahit patrinus non baptizatus, ita in Confirmatione non confirmatus. Ob hujusmodi autem cognationem tenentur Parochi referre in libro nomina confirmatorum, et patrinorum suae Parochiae: nisi libri Confirmatorum ab Episcopo per

alios conficiantur, uti est in Dioecesi Neapolitana, et alibi.

82. Quoad ritum demum Confirmationis, praescribitur quoque, quod frons confirmati liganda sit fascia linea cruce notata, gestanda uno, tribus, vel septem diebus juxta consuetudinem, illota interim fronte. Hodie tamen ex desuetudine haec coeremonia non amplius apud nos est in usu, sed statim post Confirmationem abstergitur frons confirmati, et dimittitur. Advertit item Lig. num. 188., quod benedictio communis, quae confirmatis datur in fine ab Episcopo, neque etiam est ritus vel ad Sacramentum necessarius, vel obligans sub gravi, sed simplex coeremonia, ut commune est apud DD.: quodque monitio, quae prius fit ab Episcopo, ne confirmati ante praefatam benedictionem discedant, probabiliter non obligat, estque etiam omittenda, quando concursus est magnus, ut aliis locus praestetur.

83. Superest modo loquamur de hujus Sacramenti effectibus: suntque, praecise loquendo, augumentum gratiae, singulare robur ad fidem firmiter tenendam, et intrepide profitendam, et character. Generatim autem loquendo, effectus hujus Sacramenti est similem conferre Spiritus Sancti plenitudinem ad robur spirituale, qualem, ut Catech. Rom. docet, in die Pentecostes Apostoli acceperunt. Et sane de hoc certe Sacramento loquebatur Christus, promittendo Apostolis Spiritum Paraclitum, qui eos consolaturus esset in adversis; Spiritum veritatis, qui eos esset confirmaturus, ut intrepide de eo testimonium perhiberent, Mundumque arguerent; sicut etiam cum iis ait: *Ac-*

cipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos, et eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Ju laea, et Samaria, et usque ad ultimum terrae (Act. 1.); utpote qui omnes Confirmationis effectus. Id autem quando, nisi in die Pentecostes accidit? Idem tamen confirmatur ex Act. 7., ubi de Samaritanis dicitur: *Nondum enim in quemquam illorum* Spiritus Sanctus *venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu.* Et immediate subditur, quod Apostoli *imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum.* Cum enim fide Divina certum sit, per baptismum tribui gratiam sanctificantem, per quam Spiritus Sanctus datur, juxta illud Ap. ad Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*: quid aliud significari dicendum est, cum dicitur, quod Samaritani, etsi baptismum recepissent, nondum tamen Spiritum Sanctum acceperant, nisi quod illum non acceperant ea plenitudine, qua datur in Confirmatione? Per hanc igitur Spiritus Sancti plenitudinem conferri, consequens est. Ita autem allatos textus conciliandos esse, confirmatur etiam ex eo, quod legitur Jo. 7.: *Nondum enim erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus.* Nonne enim Apostoli ante glorificationem, seu Ascensionem Christi et baptizati, et ordinati, et Eucharistia refecti fuerant? Nonne in eos Christus post suam Resurrectionem insufflaverat, et dixerat: *Accipite Spiritum Sanctum* (Jo. 20.)? Quomodo igitur *nondum erat Spiritus datus*? Ea nimirum plenitudine, quam Christus Jo. 15., et Act. 1. promiserat, et quam glorificatus in die Pentecostes exhibuit.

Tunc autem Apostoli confirmati fuere: Per confirmationem igitur Spiritus Sancti plenitudinem conferri, magis, magisque evidens est.

TRACTATUS IV.

DE EUCHARISTIA.

CAPUT I.

De definitione, ac veritate hujus Sacramenti, ejusque materia, et forma.

84. Et quoad 1.m, definitur *Sacramentum a Christo institutum ad spiritualem fidelium refectionem, in quo ejus Corpus, et Sanguis vere, realiter, et substantialiter sub speciebus panis, et vini continentur.* Institutum autem fuit, ut notissimum est, pridie quam pateretur, in ultima coena ab eo cum discipulis facta. Illae vero particulae *vere*, *realiter*, *et substantialiter* desumptae sunt ex Trid. *sess.* 13. *c.* 2.; nec sunt mera synonima, sed perversis totidem haereticorum erroribus oppositae; particula enim *vere* excludit praesentiam per figuram, et imaginem; particula *realiter* excludit praesentiam tantum per fidem; particula *substantialiter* excludit praesentiam tantum per virtutem a Christo diffusam, et *transubstantiationem* panis, et vini innuit.

85. Sequitur porro ex tradita definitione, quod hoc Sacramentum non consistit perinde ac alia Sacramenta in actione aliqua transeunte, applicatione scilicet

formae ad materiam, quae proinde non existunt, nisi cum actu conferuntur, ac suscipiuntur; sed in re permanente: quod confirmatur et ex Scriptura, cum enim Christus dixerit: *Hoc est Corpus meum*: *Hic est calix Sanguinis mei*, prius quam Apostoli symbola sumpsissent, ipsius ergo Corpus jam in manibus ejus, ipsiusque Sanguis in calice extitit, prius quam in Apostolorum os intraret; et ex constanti Ecclesiae Traditione; et demum ex definitione Trid. *sess.* 13. *can.* 4., ubi: *Si quis dixerit, peracta consecratione, in admirabili Eucharistiae Sacramento non esse Corpus, et Sanguinem D. N. J. C., sed tantum in usu, anathema sit.* Hinc etiam sequitur, quod hujus Sacramenti essentia reponi nequit in re fluente, et transeunte, qualis est consecratio. Neque autem reponi potest in solis speciebus, quia Sacramentum Eucharistiae gratiam confert, adoratur a fidelibus, perficitur a Ministris, quae speciebus non competunt. Neque etiam reponi potest in solo Corpore, et Sanguine Christi, est namque de Sacramenti essentia, quod sit aliquid sensibile, cujusmodi non est in Eucharistia Christi Corpus, et Sanguis. Quae cum ita sint, ejus proinde essentia reponenda est cum Lig. n. 190. in speciebus simul, et Corpore, ac Sanguine Christi; quod confirmatur ex D. Aug. relato in c. *Hoc est* 48. *D.* 2. *de consecr.*, ubi dicitur, hoc Sacramentum *duobus constare, visibili elementorum specie, et invisibili Dom. N. Jesu Christi carne, et sanguine, sicut Christi Persona constat ex Deo, et homine.*

86. Quod autem sit Sacramentum, ex tradita n. 1. Sacramenti definitione sequitur. Si enim habetur in

Eucharistia ritus sensibilis, gratiae per illum collatio, ac Christi institutio, habetur quoque in eo omnis Sacramenti ratio, ideoque dicendum est Sacramentum. Praefata autem omnia in Eucharistia habentur: *ritus sensibilis*, consecratio scilicet panis, et vini, qua panis, et vini substantia convertitur in Corpus, et Sanguinem Christi, remanentibus tantum panis, et vini speciebus. *Gratiae per illum collatio*, convertitur enim consecrationis vi panis, et vini substantia in Corpus, et Sanguinem Christi, ut per hujus sumptionem sub panis, et vini speciebus, fideles, ut loquitur Trid. *sess.* 13. c. 2., *alantur, et confortentur viventes vita illius*; *qui dixit: Qui manducat me, et ipse vivet propter me*, etc. *Christi institutio*, ipse enim in ultima coena accepto pane, et accepto calice, iisque in Corpus, et Sanguinem suum conversis, Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus praecepit, ut idem facerent, quod ipse fecerat, dicens: *Hoc facite in meam commemorationem* (1. *ad Cor.* 11.)

87. Ad materiam modo hujus Sacramenti progredientes, est primum ejus materia remota ex Flor. Decr. pluries relato *panis triticeus, et vinum de vite.* Triticeus, idest non ex hordeo, avena, fabis, aliisve leguminibus, sed ex tritico confectus, quia hic solus simpliciter dicitur panis; isque coctus per modum panis, non frixus, vel elixus, sive specie differant, sive non, quia nec etiam esset panis usualis: aqua naturali mixtus, non subactus aquis artificialibus, oleo, butyro, lacte, aliisve liquoribus, quia nec etiam esset panis usualis: ac demum incorruptus. Definiit autem Flor. in eodem Decr., *in azy-*

mo, sive fermentato pane triticeo Corpus Christi veraciter confici: Sacerdotesque in alterutro ipsum Domini Corpus conficere debere, unumquemque juxta Ecclesiae suae sive Orientalis, sive Occidentalis consuetudinem: ut enim Ben. XIV. in Const. *Etsi Pastoralis* magis confirmavit, nec Latinus, nec Graecus praeter proprium ritum celebrare potest *sub poenis perpetuae suspensionis a Divinis*: utque addit Lig. n. 203., id est illicitum, etiam in casu necessitatis ad praebendum Viaticum infirmo, cum reverentia erga tantum Sacramentum praeferenda sit utilitati Proximi, cui hoc Sacramentum non est simpliciter necessarium. Caeterum quod panis tam fermentatus, quam azymus sit idonea hujus Sacramenti materia, ex eo patet, quod uterque est verus panis quoad substantiam: quod enim talis sit fermentatus omnium judicio, probatione non eget; eoque aliquando usos fuisse Apostolos, colligi videtur ex c. 2. Act., ubi de fidelibus dicitur, quod *erant perseverantes in doctrina Apostolorum, et communicantes in Communione fractionis panis.* Panis autem iste valde verisimiliter erat usualis, et obvius, ideoque fermentatus: estque communis SS. Patrum, et Interpretum sententia, quod praefata verba intelligenda sint de Eucharistia. Nec obstat, quod, ut infra dicetur, Christus consecravit in azymo: etenim, ut advertit Algerus l. 2. de Sacr. Corp., et Sangu. Domini, *eo pane usus est, non quia res, quae fiebat, id exigebat, sed quia coena, in quo hoc factum est, alium panem non exhibebat.* Quod vero azymus sit quoque verus panis quoad substantiam, ex Scripturis ipsis ostenditur, ubi panes propositionis, qui erant

azymi, teste Josepho *l.* 3. *Antiqu. c.* 9., dicuntur simpliciter panes l. 1. Reg. c. 21. Et c. 24. Lucae legitur, quod Christus agnitus fuit *in fractione panis* in ipso Resurrectionis die, quo tempore non habebatur apud Judaeos panis fermentatus propter festum azymorum. Cui tandem accedit, quod Christus in azymo consecravit, ut mox demonstraturi sumus.

88. Id igitur in dubium vocari nequit: Christus enim pridie mortis suae Agnum Paschalem comedit prima die azymorum juxta legis praescriptum, die scilicet decima quarta mensis Nisan in posteriore vespera, in qua, ut moris erat apud Judaeos, qui numerabant diem a vespera ad vesperam, incipiebat dies decimus quintus, qui consequenter erat primus festivus. Id porro luculenter patet et ex Matth. 26., ubi: *Prima autem die azymorum accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes: Ubi vis, paremus tibi comedere Pascha?* Et ex Marci 14.: *Prima die azymorum, quando Pascha immolabant, dicunt ei discipuli: Quo vis, eamus, et paremus tibi, ut manduces Pascha? Et paraverunt Pascha.* Et ex Luc. 22.: *Venit dies azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha. Et paraverunt Pascha.* Dies autem prima azymorum incipiebat a posteriore vespera diei decimi quarti praedicti mensis, ut patet ex 12. Exodi, et 23. Lev., ubi: *Mense primo, quarta decima die mensis ad vesperam phase Domini est, et quinta decima die mensis hujus solemnitas azymorum Domini est. Septem diebus azyma comedetis.* Nec secus esse poterat: quis enim cogitare, nedum asserere audeat, quod Christus, qui legalia semper hactenus accuratissime servaverat, quique dixerat Matth. 5., *legem non ve-*

nisse solvere, *sed adimplere*, ita ut *jota unum*, *aut unus apex non praeteriret*, *donec omnia fierent*, non celebraverit tamen Pascha, cum id legi apprime congruebat? Id autem erat in posteriore vespera diei decimi quarti praedicti mensis: Tunc igitur Agnum Paschalem comedit. Utque argumentis argumenta addamus, accedit, quod Christus crucifixus fuit in die Paschatis, dicitur enim dies ipsius mortis Matth. 27. *dies solemnis*, et Marci 15., ac Lucae 23. *dies festus*; ut enim inquit D. Leo, *oportebat tam insigne sacrificium die solemni offerri*; ut nempe verus Agnus immolaretur eo tempore, et in iisdem circumstantiis, in quibus typicus juxta praescriptum legis mactabatur. Dies autem Paschatis erat prima dies azymorum: In ejus igitur priore vespera Agnum Paschalem comedit.

89. Objicitur quidem 1.° ex Matth. 26., quod Judaei ajebant: *Non in die festo*, *ne forte tumultus fieret in populo.* Resp. tamen, quod tametsi id prius dixissent ob metum tumultus, sibi tamen oblata postmodum occasione proditionis Judae promittentis, se Christum absque tumultu traditurum, sententiam mutarunt; statueruntque eum statim occidere, etsi dies Paschae advenisset, tum ne opportunitas illum interficiendi elaberetur, tum ut ei major inferretur ignominia. Cumque non causa Religionis, sed seditionis metu dixissent: *Non in die festo*, nihil quoque facessere debet, quod in tali die causam criminalem egerint: maxime, ut advertit Habert, quia excusatos se forte credebant et quia non ipsi, sed Gentiles, qui Synagogae legibus non tenebantur, ferale illud

opus perfecturi erant, unde dixerunt Pilato: *Nobis non licet interficere quemquam*; tum quia blasphemum, qualem arbitrabantur Christum, quolibet die occidi posse, ex Num. 15. arbitrabantur.

90. Objicitur 2.° ex Jo. 13., quod ultimam illam Coenam Christus dicitur fecisse *ante diem festum Paschae*. Resp. tamen, quod sic Jo. scribit, quia diem Paschae non sumit legaliter, prout caeteri Evangelistae, quo modo sumptus incipiebat a posteriore vespera diei decimi quarti mensis Nisan; sed naturaliter, seu civiliter, quo modo sumptus incipiebat ab ortu solis diei decimi quinti ejusdem mensis.

91. Objicitur 3.° ex eod. Jo. 18: *Ipsi non introierunt in Praetorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha.* Ad quod resp., per illud *Pascha* intelligendum non esse Agnum Paschalem, sed victimam Paschalem, qua Sacerdotes diebus Paschalibus vescebantur: singulis quippe diebus Paschae, ut legitur Num. 28., immolabantur duo vituli, unus aries, unus hircus, et septem agni; quorum omnium sacrificia vocabantur *phase*, idest *Pascha*, ut patet ex c. 35. *Paralip.*; atque ex iis illud hirci erat sacrificium pro peccato, atque ex eo quotidie parari solebat epulum Sacerdotibus: cumque nonnisi mundis edere liceret de sacrificiis, ut patet ex c. 22. *Lev.*, haec erat proinde victima Paschalis, de qua cit. l. dicitur, quod Sacerdotes Judaeorum *non introierunt in Praetorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha.*

92. Objicitur 4.°, quod dies mortis Christi vocatur *Parasceve Paschae* Jo. l. c., ubi: *Erat autem Parasceve Paschae hora quasi sexta.* Ad quod resp., sic

dici, non quia pridie Paschae, sed quia praeparatio ad Sabbatum incidens intra hebdomadam Paschalem, non enim aderat Parasceve apud Judaeos, nisi propter Sabbatum, ante quod tantum, non vero ante alios dies necessarium erat parasceve, propterea quod in solo Sabbato, non vero in aliis diebus festis, non licebat Judaeis cibos parare. Quod confirmatur ex contextu: *Quoniam parasceve erat, ut non remanerent in cruce corpora Sabbato, erat enim magnus dies ille Sabbati*: celebrius nempe, utpote hebdomada Paschali occurrens, quae tota erat solemnis. Et Marci 15 habetur: *Erat Parasceve, quod est ante Sabbatum.*

93. Objicitur 5.°, quod anno mortis Christi dies Pentecostes Judaeorum incidit in diem Dominicam, ut constat ex traditione Ecclesiae. Erat autem dies Pentecostes Judaeorum quinquagesimus a secundo die azymorum: Eo anno igitur secundus dies azymorum incidit etiam in diem Dominicam; ideoque dies primus azymorum, seu festum Paschae in Sabbatum. Ad id tamen respondet Bellarm., quod cum causa, cur illi dies quinquaginta incipiebant, non a prima, sed a secunda die azymorum, fuerit, quia illo die, a quo incipiebant, aliqua opera servilia facienda erant, quae die festo prohibebantur, metere scilicet manipulum frumenti, et deferre ad Sacerdotem: hinc quia haec vetita magis erant die Sabbati, quoties proinde secunda dies azymorum erat Sabbatum, prout accidit in anno mortis Christi; dies illi quinquaginta incipiebant, non a secunda, sed a tertia die azymorum; ex quo sequebatur, quod dies quinquagesimus Pentecostes in diem Dominicam incidebat. Id autem confirmatur ex

23. Lev., ubi: *Numerabitis ab altero die Sabbati, in quo obtulistis manipulum primitiarum*: ubi notandum, quod non dicitur *ab altero die Paschae*, vel *ab altero die azymorum*, sed *ab altero die Sabbati*, idest a primo die post diem quietis, in quo servilia non permittuntur.

94. Quibus positis: cum Christus Agnum Paschalem comederit ipso die azymorum, in quo necesse erat occidi Pascha, idest primo azymorum, in quo vetitum erat Judaeis, nedum manducare, sed et domi servare panem fermentatum; eoque tempore instituerit Sacramentum, de quo agimus, ipsum proinde non in fermentato, sed in azymo consecrasse, consequens est; ideoque sive in azymo, sive in fermentato pane triticeo Corpus Christi veraciter confici.

95. Quia tamen hoc Sacramentum institutum fuit ad modum convivii, quod cibo, et potu perficitur, nedum panis, ut diximus, sed et vinum est ejus materia remota. Hoc autem esse debet de vite, utpote illud, quod Christus adhibuit, ut patet ex ejus verbis ad Ap. in hujus Sacram. institutione: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis* (*Matth.* 26.). Quare non est materia apta quivis alius liquor ex moris, malogranatis, etc. expressus, sive dicatur vinum, sive non, quia non de vite: sicut etiam agresta, idest succus expressus ex uvis immaturis, quia nondum induit naturam vini; vel acetum, quia vini naturam amisit. In dubio autem post consecrationem, an vinum fuerit, necne verum acetum, docet Lig. n. 206., supplendam esse consecrationem vini, ne sacrificium relinquatur in periculo non integritatis, contra praeceptum

faciendi Sacrificium integrum. Nec valet dicere, quod possessio stet pro vini valore, quodque sine certo fundamento non est Sacrificium turbandum: cum enim prudenter dubitatur, an illud, super quo prolata fuit consecrationis forma, fuerit, necne vinum, probandum, quod fuerit vinum, ne Sacrificium relinquatur forte imperfectum, certumque habetur fundamentum obligationis illud integrandi. Quia tamen forte fuit vinum, hinc tantum aliud vinum certum consecrandum non est absolute, sed sub conditione, quod prior materia non fuerit apta, ne idem urgeat periculum faciendi secundum sacrificium mutilatum, si forte prior materia fuerit vere apta.

96. Neque etiam est materia apta vinum vel intra uvas contentum, vel in offa panis imbibitum, tum quia non dicitur proprie vinum, donec sit expressus, tum quia non tam est potus, quam cibus, tum quia in eo statu non satis ad sensum demonstratur per formam: nec sapa, idest mustum ad dimidiam, vel tertiam partem decoctum, quia nec est vinum usuale, nec servat vini denominationem: nec demum lora, idest aqua expressis acinis superfusa ob praedominantem aquae quantitatem. Apta tamen est, sed illicita, et quidem graviter, ut expresse docet Rubr. Missal. *tit.* 4. *n.* 2., mustum ob admixtas foeces; a quibus proinde purus est materia et valida, et licita: vinum vel acescens, vel, ut dicitur in ead. Rubr., *aliquantulum acre*; quando tamen, ut advertit Lig. n. 207., vinum jam introierit corruptionis limites; atque ita Rubricae verba esse intelligenda, probat ex D. Th. 3. *p. q.* 74. *a* 5. *ad* 2., ubi: *Potest tamen confici*

Sacrificium de vino acescenti, sicut et de pane, qui est in via ad corruptionem, licet peccet conficiens. Hinc subdit idem Lig., quod deficiente alio vino, probabiliter licet sine scrupulo, prout solent viri probi, adhibere vinum tantum parum acescens, sive non notabiliter acidum. Immo docet Ben. XIV., citans Meratum, quod *si necessitas urgeat celebrandi, seu non possit Sacerdos absque nota omittere Sacrum, ut inter Regulares contingit, qui secundum Regulam celebrare tenentur, et non sit in eorum potestate aliud vinum habere, non peccant subditi eo vino utentes. Et quamvis tali vino uti sit contra reverentiam Sacrificii, ea tamen irreverentia non imputatur celebranti, sed Superiori, vel Ministro, qui est causa voluntaria illius* (*Notif.* 77.).

97. Quamvis etiam illicite, probabilius tamen, et quidem ita ex Lig. l. c., ut sententia opposita nulla polleat solida probabilitate, in vino congelato consecratur, tum quia adhuc retinet substantiam, et denominationem vini, estque natura sua potabile; tum quia Christus sub eo apte consecrato manet. Utrumque autem confirmatur ex Rubr. Missal. *De defect.* §. *in hyeme*, ubi: *Si in hyeme sanguis congeletur in calice, involvatur calix pannis calefactis etc., donec liquefiat.* Supponit igitur, minime per congelationem corrumpi species vini, alias ibi desineret esse Christus. Quod vero aqua congelata non sit materia baptismi omnino prorsus abs re est, baptismus namque essentialiter consistit in ablutione, at non Eucharistia in sumptione. Concludendum proinde, nulli esse licitum consecrare in vino congelato, ob reverentiam

saltem erga tantum Sacramentum; ideoque si in hyeme congelaverit, postquam in calicem missum fuerit, calore manuum, aut halitus, aut alio modo liquefaciendum esse ante consecrationem. At casu, quo Sacerdos illicite consecrasset vinum congelatum, tenendum esse pro vere consecrato, nec licite posse aliud vinum consecrari.

98. Diximus autem, materiam remotam Sacramenti Eucharistiae esse *panem triticeum*, et *vinum de vite*: quod enim vino modicissima aqua admiscenda sit, id non pertinere nec etiam ad integritatem Sacrificii, ex Missalis praescripto manifeste eruitur, quod *si celebrans ante consecrationem calicis advertat non fuisse appositam aquam, statim ponat eam. Si id advertat post consecrationem calicis, nullo modo apponat, quia non est de necessitate Sacramenti.* Porro, etsi pertineret tantum ad ejus integritatem, esset nihilominus post consecrationem apponenda; quemadmodum Sacerdos, qui in Sacramento Poenitentiae satisfactionem ex oblivione non imposuerit ante absolutionem, debet illam post absolutionem imponere, si poenitens non recesserit. Ex quo etiam sequitur, mixtionem hujusmodi neque etiam esse praecepti Divini, sed Ecclesiastici tantum; quae enim Christus observanda praecepit in Sacramentorum administratione, illa ad Sacramenti substantiam, et integritatem pertinent. Id autem Ecclesia praecepit, tum quia Christus, ut Trid. ait *sess.* 22. *c.* 7., ita fecisse creditur; tum ad recolendum sanguinis, et aquae mysterium, quae ex latere Christi effluxerunt; tum ut significetur unio fidelium cum Christo in hoc mysterio, in quo cum

ipso offerunt, et offeruntur, nec non unio Naturae Divinae cum natura humana in Incarnatione, quemadmodum in actu mixtionis videtur significari: ex quibus sequitur, quod praefata mixtio facienda est non in dolio, vel ampulla, aliove vase, sed in ipso calice; neque domi, sed in ipso Sacro; idque vel ab ipso Sacerdote, ut in Missa privata, vel a Subdiacono, ut in solemni, ita enim, et non aliter mysticae hujusmodi significationes recoluntur. Quidquid autem dicat Habert, non esse probandos Sacerdotes, qui unam aquae guttulam in calicem infundunt, hoc tamen sine scrupulo fieri posse, pro certo habet Suaresius; estque magis conforme Flor. verbis in Decr. pluries relato: *Vino ante consecrationem aqua modicissima admisceri solet*, ad quod sufficit gutta sensibilis, quemadmodum etiam expresse docet D. Th. *qu.* 74. *a.* 8. *ad* 1. Simul advertendum tamen, ne locus detur scrupulis, licite in calicem immitti plures aquae guttas; utque docent Bus., Spor., aliique, posse etiam in illum immitti usque ad tertiam aquae partem; quod probari videtur ex *C. Perniciosus* 13. *de Cel. Miss.*, ubi Honorius III. tantum praescribit: *Plus* (in calice) *de vino*, *quam de aqua ponendum.* Et ex Conc. Triburiensi, ubi dictum fuit: *Duae sint partes vini*, *tertia aquae.* Quod tamen non esse admittendum, advertit Lig. n. 210., nisi vinum sit generosum.

99. Qua super se disputatur demum, quomodo aqua vino permixta in Christi sanguinem convertatur? Et quidem in illum converti, licet non sit de fide, non

enim ait Innoc. III. *in c. cum Marthae de cel. Miss.*, nisi tantum probabiliorem esse sententiam affirmativam, quae revera hodie inter TT. est communis, probatur tamen 1.° quia ex Trid. non remanent in calice, nisi species vini post consecrationem. Id autem falsum esset, si aqua vino in illo immixta in Christi sanguinem non converteretur. 2.° quia Christus universaliter, et indistincte dixit, cum discipulis bibendum calicem porrexit: *Hic est Sanguis meus*; cujus propositionis veritas exigere videtur, ut sanguis esset quidquid in calice continebatur. In calice autem, quem Christus bibendum discipulis porrexit, vinum erat mixtum aqua, ut ex Traditione habetur juxta idem Trid. Circa modum tamen conversionis, docent Thomistae, ac Scotistae, iisque adhaeret Cat. Rom., aquam immediate converti in vinum, et mediate in Sanguinem Christi: cum enim converti nequeat in Christi Sanguinem, nisi materia consecrabilis, atque haec sit tantum vinum de vite, ut diximus, nequit proinde aqua vino permixta in Christi Sanguinem converti, nisi prius convertatur in vinum. Satis tamen probabile censet Lig. n. 209., quod immediate convertatur in Christi Sanguinem: quod probatur 1.° ex Innoc. III. *c. cum Marthae de cel. Missae*, ubi Pontifex inquit, probabilius esse, *aquam cum vino in sanguinem transmutari*; cum enim non dicat, *aquam conversam in vinum*, ante consecrationem igitur aqua remanet aqua. 2.° ex D. Ambr., et Hier., quorum primus ait: *Vinum cum aqua in calice mixtum fit sanguis consecratione.* Alter: *Format sanguinem suum ex vino, et aqua mixtis.* 3.° quia in compertis est nunc temporis apud

Chymicos, aquae in vinum conversionem physice repugnare. Quod autem nequeat in Christi Sanguinem converti, nisi materia consecrabilis, qualis non est, nisi vinum de vite, ultro concedimus: an non tamen vinum modica aqua temperatum est, ac universe dicitur, et existimatur vinum usuale? Ac suffragatur D. Th. *q.* 74. *a* 3., *ad* 3., ubi: *Modica permixtio non solvit speciem.*

100. Hactenus de materia remota Sacramenti Eucharistiae; de cujus materia proxima dicendum est tantum, quod cum usus materiae remotae cujusvis Sacramenti dicatur materia proxima ejusdem, hinc conversio substantiae panis, et vini in substantiam Corporis, et Sanguinis Christi vi verborum consecrationis dicenda est materia proxima Sacramenti Eucaristiae; in quo, remanentibus panis, et vini speciebus, ideo hae non constituunt duo Sacramenta specie distincta, quia ordinantur ad unam refectionem totalem, quae cibo, et potu perficitur.

101. Superest idcirco, ut de forma loquamur, quae duplex est, panis scilicet, suntque illa verba: *Hoc est enim Corpus meum*; ubi omnia sunt de essentia, praeter to *enim*, cujus tamen omissio non posset a mortali excusari, ut enim Lig. disserit n. 220., in re tam gravi non videtur levis materia quaecumque levis mutatio deliberate apposita: vini vero: *Hic est enim calix sanguinis mei, Novi, et aeterni Testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, et pro multis effundetur in remissionem peccatorum*; ex quibus verbis essentialia sunt tantum, ut infra videbimus, illa: *Hic est calix sanguinis mei.* Esse autem praefata verba hu-

jus Sacramenti formam probatur 1.° ex Decr. Flor. pluries relato, ubi: *Forma hujus Sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc conficit Sacramentum.* Non ait porro *confecit*, sed *conficit*, quia ipse est Sacerdos, et hostia. 2.° ex D. Ambr. *l. 4. de Sacr. c.* 40., ubi: *Quomodo panis potest esse Corpus Christi? Consecratione. Consecratio autem quibus verbis fit, et cujus sermonibus? Domini Jesu. Ergo sermo Christi hoc conficit Sacramentum* 3.° quia cum formae Sacramentorum vim habeant efficiendi quod significant, hinc verba illa omnia, et sola praesentiam Corporis, et Sanguinis Christi operari, dicendum est, quae omnia, et sola illam perfecte significant. Haec autem sunt praefata verba: Iis igitur et solis consecrationem perfici, consequens est.

102. Objicitur quidem 1.° illud Marci 14, ubi Eucharistiae institutionem referens, ait: *Et accepto calice gratias agens, dedit eis; et biberunt ex illo omnes. Et ait illis: Hic est sanguis meus Novi Testamenti.* Si autem Apostoli prius panem, et calicem Eucharisticum sumpserunt, quam dixisset Christus: *Hoc est Corpus meum: Hic est Sanguis meus*, non istis verbis, sed praecedenti benedictione Christum consecrasse, dicendum est. Resp. tamen, taliter locutum fuisse D. Marcum, ut Christi praeceptum de sumendo hoc Sacramento cum ejus confectione conjungeret, quin ordinem narrationis secutus fuerit: idque constat tum ex aliis Evangelistis; tum ex Ap. 1. *ad Cor.* 11.; tum quia si hausto calice dixisset Christus: *Hic est Sanguis meus*, bibissent Apostoli nescientes, quid biberent.

103. Objicitur 2.° illud Trid. *sess.* 13. *c.* 1., ubi ait, *Christum post panis*; *vinique benedictionem se suum ipsius corpus Apostolis praebere, ac suum sanguinem, disertis, ac perspicuis verbis testatum esse.* Benedictione igitur consecravit, quod et de Sacerdotibus est dicendum, cum hi, nonnisi quod Christus fecit, faciant. Resp. tamen, quod testando, se suum illis praebere Corpus, illud effecit; et Corpus suum efficiendo, testatus est, se illud Apostolis praebere. Quod et dicatur de Sanguine.

104. Objicitur 3.°, quod verba: *Hoc est Corpus meum*: *Hic est calix Sanguinis mei* supponunt jam praesens Corpus Christi, ac praesentem ejus Sanguinem. Non igitur Corporis, et Sanguinis Christi productiva, seu consecratoria. Resp. tamen, quod propositio quidem speculativa suum objectum supponit, practica vero non supponit, sed facit. Sic remissa non erant peccata mulieris peccatricis, priusquam Christus diceret: *Remittuntur tibi peccata* (*Luc.* 7.) Nec sanatus fuerat filius Reguli, cum hic audivit: *Vade, filius tuus vivit* (*Jo.* 4.). Nec mulier dimissa erat ab infirmitate sua, antequam Christus diceret: *Dimissa es ab infirmitate tua* (*Luc.* 13.). Propositio autem: *Hoc est Corpus meum*: *Hic est calix Sanguinis mei*, utraque est propositio practica, ad cujus veritatem proinde satis est, quod objectum propositionis tale sit in ultimae sillabae pronuntiatione, quale enuntiatur. Sic vera est haec propositio: *Ego sileo*, non quidem dum loquor, sed dum desino loqui.

105. Ex dictis sequitur 1.° quod *si quis aliquid diminueret, vel immutaret de illis verbis, et verba idem*

non significarent, non conficeret Sacramentum. Si vero aliquid adderet, quod significationem non mutaret, conficeret quidem, sed gravissime peccaret. (*Rubr. Missal. tit.* 5. *n.* 1.). Hinc invalide conficeret, qui adverbialiter diceret: *Hic est calix Sanguinis mei*: vel *Hoc corpus est meum*: *Hic sanguis est meus*: vel *Ecce corpus meum*: *Ecce sanguis meus*, quia per ejusmodi verba non significaretur transubstantiatio panis, et vini in Corpus, et Sanguinem Christi. Valide vero, qui ob balbutiem diceret: *Hoc est Colpus meum*, ex ratione allata n. 50., quod voces ita constitutae sunt, ut si aliquando cum vitio proferantur, idem significent. Sicut etiam, qui diceret: *Hoc est corpus meum, quod de Virgine sumpsi*: *Hic est sanguis meus infiniti valoris*, quia per verborum illorum additionem sensus formae non corrumperetur, etc. An autem qui in consecratione calicis omitteret verba: *Novi, et aeterni Testamenti etc.*, consecraret, negant Thomistae: quia sicut in baptismo, licet satis exprimatur Sacramenti effectus per verba: *Ego te baptizo*, addendum tamen est ad veritatem Sacramenti: *In nomine etc.*; quia baptismus est solemnis professio Religionis Christianae, cujus primarium objectum est mysterium Trinitatis: ita in Eucharistia, cum haec sit expressa commemoratio Passionis Christi, verba idcirco subsequentia, quae illam exprimunt, necessario proferenda sunt. Communior tamen sententia, sola verba *Hic est calix Sanguinis mei* de formae essentia esse, docet. Quod probatur 1.° quia Ap. 1. *ad Cor.* 11. loquens de consecratione calicis, non meminit, nisi illorum Christi verborum: *Hic calix novum Testamen-*

tum est in meo Sanguine, praetermissis aliis. Non est autem credibile, quod Apostolus aliquid essentiale ad formam omiserit: Sola igitur de formae essentia dicenda sunt. 2.° quia ut ait Trid. sess. 13. c. 1. *Hoc tam admirabile Sacramentum in ultima coena Redemptor noster instituit, cum post panis, vinique benedictionem, se suum ipsius Corpus illis praebere, ac suum Sanguinem, disertis, ac perspicuis verbis testatus est.* At suum Corpus, ac suum Sanguinem discipulis praebere, asseruit illis tantum verbis: *Hoc est Corpus meum*: *Hic est calix Sanguinis mei.* 3.° quia si essentialia essent verba subsequentia, maxime illa essent: *Qui pro vobis, et pro multis effundetur etc:*, utpote a Christo prolata. Porro si haec consecrando calici necessaria essent, aeque essent necessaria consecrando pani verba: *Quod pro vobis datur*, utpote a Christo non minus prolata; quae tamen pani consecrando non esse necessaria, nemo est, qui dubitet: Nec igitur consecrando calici verba: *Qui pro vobis, et pro multis effundetur etc.* 4.° quia verba Sacramentalia id statim efficiunt, quod significant. Sola autem verba: *Hic est calix Sanguinis mei*, antecedenter ad ea, quae sequuntur, significant, id, quod praesens est, esse Sanguinem Christi: Id igitur antecedenter ad ea, quae sequuntur, efficiunt. Quia tamen sententia opposita non est improbabilis, monet proinde Rubr. Missal. *tit.* 10. *n.* 3., quod si Sacerdos *obierit*, *semiprolata forma sanguinis, alter prosequatur Missam, et super eumdem calicem integram repetat formam (sub conditione tamen, si forte jam dixerit verba: Hic est calix Sanguinis mei) ab eo loco: Simili modo, etc.*

Vel posset super alium calicem praeparatum integram formam perficere, et hostiam primi Sacerdotis, et sanguinem a se consecratum sumere, et deinde calicem relictum semiconsecratum.

106. Sequitur etiam 2. ex dictis de forma hujus Sacramenti, quod praefata verba: *Hoc est Corpus meum*: *Hic est calix Sanguinis mei* nec historice tantum, sed historice, et assertive simul a Sacerdote, dum consecrat, proferuntur: quia enim a Sacerdote proferuntur, tamquam a Christo dicta, proferuntur historice; et quia simul ab illo proferuntur cum intentione exercendi ipsam propositionis significationem, atque personam Christi gerens, et in persona ipsius, proferuntur simul assertive. Hinc probabilitate non caret, ut scribit Lig. n. 222., quod verba illa: *Qui pridie ec.*, licet formae non essentialia, necessario tamen requiruntur ad valorem consecrationis, quia verba consecrationis sine illis prolata per se non significant Corpus Christi, sed corpus Sacerdotis; unde oportet, ut per verba praecedentia significetur, quod Sacerdos loquitur in persona Christi. Idque etiam confirmatur ex Rubr. Missal. *tit.* 3. *n.* 5., *et tit.* 10. *n.* 3.; ubi praecipitur, quod cum forma repetenda est vel ratione materiae dubiae, vel quia fuerit semiprolata, Sacerdos incipiat ab illis verbis: *Qui pridie etc.*; et *Simili modo etc.* Dicit autem *probabilitate non carere*, communis namque sententia docet, ad consecrationem sufficere sola verba: *Hoc est etc. Hic est etc.*, ex rationibus allatis n. 101.; quae ut proferantur in persona Christi, sufficit, et quod Christus instituerit sic proferri, et quod sic Sacerdos intendat.

107. Sequitur 3., quod cum pronomen *hoc*, et *hic* significent materiam sensibus praesentem, hinc ut consecratio sit valida, requiritur praesentia panis, et vini physica, vel saltem moralis, cum utraque enim stat veritas formae consecratoriae, et sensibiliter demonstratur materia consecranda. Habetur autem physica, cum materia sensu attingitur, oculis nempe, vel manibus: moralis, cum etsi sensu non percipiatur in se, sensu tamen percipitur in aliquo ipsi conjuncto, aut ordinato ad illam continendam. Ex quo sequitur, quod invalide consecrarentur hostiae in tabernaculo inclusae, utpote nec physice, nec moraliter praesentes, quia tabernaculum non est vas, sed locus separatus, quo demonstrato, non demonstratur id, quod in eo continetur inclusum; secus vero, si ex oblivione non aperiatur pixis super corporali posita, ut Rubricae Missalis monent, ante consecrationem, in quo casu hostiae in ea inclusae consecrantur, utpote Sacerdoti moraliter praesentes, quia pixis est vas, quo demonstrato, demonstratur contentum: sicut etiam valide consecrantur hostiae praesentes a caeco, vel alio Sacerdote in tenebris, modo ex relatione alterius certificetur de praesentia materiae, quia ad hujus praesentiam non requiritur, ut videatur, vel tangatur, vel feriatur sono verborum; immo communiter non probatur eorum praxis, qui os proxime admovent, ut halitum in panem, et calicem transpirent. Sic etiam valida est consecratio, etsi Sacerdos putet, unam, vel duas, vel sex hostias consecrandas adesse, cum sint plures, sive a se, sive ab alio positae: quia error speculativus non

obstat intentioni practicae consecrandi omnes praesentes; quam, tamquam Ecclesiae consuetudini conformem, quisque censetur implicite habere. Ex eo item, quod pronomen *hoc*, et *hic* significant etiam materiam certam, et in individuo determinatam, sequitur, quod invalide consecraret, qui ex multis hostiis praesentibus consecrare tantum intenderet quatuor, vel quinque, nullas designando, cum nulla adesset ratio, cur una potius, quam altera consecraretur. Ac sic neque etiam consecraretur hostia inscio Sacerdote in corporali posita sejunctim a cumulo, quia non esset determinata in mente Sacerdotis, cujus voluntas ferri nequit in incognitum: ac neque etiam guttae, etsi interius calici adhaerentes, ut probabilius docet Suaresius, quia intentio Ecclesiae esse videtur, ideoque et Sacerdotis esse debet, id tantum consecrare, quod per modum unius continui est in calice, quod et vi particulae *hic* significari videtur. Hinc, quia tantum probabilius, bene faciet Sacerdos, si semel pro semper intendat eas non consecrare, ne inde de iis detergendis sit sollicitus. Lig. n. 215.

108. Permixtis demum praedictis in casibus, vel in aliis hostiis consecratis cum non consecratis, advertit Lig. n. 216., quod totus cumulus ad Altare est deferendus, ut Sacerdos totum cumulum consecret sub conditione, si non sint consecratae: si enim consecrare intenderet tantum non consecratas, deesset determinatio materiae, nec posset verbum *hoc* verificari; ideoque non consecrarentur valide. Quae tandem determinatio ad consecrationem necessaria cum fiat in ipsa consecratione per pronomen *hoc*, advertit

proinde idem Lig., quod si parvae hostiae pro communicando populo afferantur Sacerdoti post factam oblationem, immo et post canonem incoeptum, licite potest eas consecrare, quando plures sine communione remanerent, suppleta mentaliter oblatione. Et consentit Ben. XIV. *de Sacr. Miss. l.* 3. *c.* 18. *n.* 5.

CAPUT II.

De reali Christi praesentia: ubi etiam de impanatione, et consubstantiatione haereticorum, oppositaque transubstantiationis Catholicorum doctrina.

109. Realem Christi praesentiam in Eucharistia supposuimus tantum, non probavimus in c. ant.: quam proinde in hoc capite probandam suscipere, operae pretium est. Nihil autem facilius. Et 1. ex illis Christi verbis: *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur* (1. *ad Cor.* 11.). *Hic est Sanguis meus, qui pro multis effundetur* (*Matth.* 26.). Illis autem verbis: *quod pro vobis tradetur, qui pro multis effundetur*, manifeste excluditur, quod Eucharistia contineat tantum Corpus Christi mysticum, vel ejus Corporis signum; credendumque proponitur, quod contineat illud ipsum verum, ac proprium Corpus, quod *pro nobis* in mortem tradidit, illumque ipsum verum ac proprium Sanguinem, quem *pro nobis* effudit: ergo. 2.° ex illis ipsius Christi verbis: *Panis quem Ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis* (*Jo.* 6.). Haec

autem Christi verba in sensu proprio sumenda esse, probat tum quod nulla adest necessitas illa sumendi in sensu metaphorico, tum quod cum Judaei litigare inter se coeperint, existimantes, Christum locutum esse de reali suae carnis manducatione: *Litigabant ergo Judaei ad invicem dicentes: quomodo potest hic carnem suam dare ad manducandum* (ibid.)? Christus, potius quam corrigere eorum intellectum, hunc confirmavit, dicens: *Nisi manducaveritis etc.*: ergo. 3. ex Ap. 1. ad Cor. 11.: *Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit Corporis, et Sanguinis Domini.* Haec autem realem Corporis, et Sanguinis Christi praesentiam indicant, nec secus sibi Apostolus cohaereret.

110. Objiciuntur tamen 1.° ab Haereticis pleraque Script. testimonia. Ut illud Christi Matth. 15. *Omne, quod in os intrat, in ventrem vadit, et in secessum emittitur*: quod impium dictu de Christi Corpore. Ad quod resp., praefata verba intelligenda esse de cibis communibus, et ordinariis, quae ad corporis nutritionem ordinantur; non autem de cibo Eucharistico, qui licet in os intret, et in stomachum transmittatur, non tamen in secessum emittitur, quia desinit esse Christi Corpus statim ac species in stomacho corruptae fuerint. Illud quoque ipsius Christi Matth. 24. *Si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere.* Non ergo credendum, quod sit praesens in Eucharistia. Ad quod resp., praedixisse Christum illis verbis impostores, qui ante excidium Jerosolymitanum Christum se esse, vel Prophetas mentiti fuere; monens simul, ne ejus discipuli ab iis de-

cipi sinerent, prout, historicis testibus, decepti ab iis fuerunt caeteri Judaei. Illud quoque ejusdem Matth. 26. *Semper pauperes habetis vobiscum, me autem non semper habetis.* Id autem falsum esset, si etiamnum esset nobiscum sub sacris speciebus. Ad quod resp., id dixisse, quod non semper fuisset cum hominibus visibiliter, et secundum eum statum, in quo utilitatis aliquid corporalis percipere ab hominibus potuisset, ut ex contextu patet. Illud quoque ejusdem Luc. 22. *Non bibam amodo de hoc genimine vitis.* Non ergo calix, quem Apostolis porrexit, nisi vitis genimen. Ad quod resp., non quidem calicem Eucharisticum appellasse genimen vitis, sed communem, ut videtur colligi ex contextu. Quodque si ita calicem Eucharisticum appellavit, id fuit, vel quia ex vino in ipsius Sanguinem converso; quo etiam sensu dicitur Matth. 11.: *Caeci vident, surdi audiunt*; vel quia habet speciem vini; vel demum quia verus fidelium potus. Illud quoque Marci 17. *Assumptus est in Coelum, et sedet a dextris Dei.* Et illud Act. 17. *Deus non in manufactis Templis habitat.* Ad quae resp., quod est in Coelo modo visibili, extenso, et naturali; in Eucharistia autem modo invisibili, nec in sua extensione naturali, sed supra naturae ordinem. Quodque dum dicitur, Deum non habitare in Templis manufactis, significatur tantum, ut ex contextu patet, quod Deus ubique est, uti Deus; nec Templis manufactis coarctatur, sicut falsa Gentium Numina.

111. Objicitur 2.°, quod verba illa: *Hoc est Corpus meum: Hic est calix Sanguinis mei*, bene accipi possunt metaphorice; ut cum dicitur de Agno Pa-

schali Ex. 12. *Est enim Phase, idest transitus Domini*, non quidem dicitur, quod Agnus ille erat transitus Domini, sed quod illum significabat. Sicut etiam cum ait Christus: *Ego sum vitis vera*; et de Baptista: *Ipse est Elias*, metaphorice id dixit. Resp. tamen 1.°, quod quis crediderit, Scriptores Sacros numquam Eucharistiam proprio nomine appellasse, figuram nempe Corporis Christi, si haec tantum esset, sed cum tanto legentium damno usos constanter fuisse metaphoricis verbis? 2.° quod verba subsequentia: *Quod pro vobis tradetur*: *Qui pro vobis effundetur*, praescindendo etiam ab Ecclesiae et Traditione, et auctoritate, omnem haereticorum argumentationi vim adimunt. 3.° quod si relicto naturali verborum sensu, ad tropos, et metaphoras Scripturae verba liceret transferre, consequens esset, quod Scripturae fuissent exaratae, non ad docendum, sed ad decipiendum, quod blasphemum dictu; et omnia fidei dogmata, morumque praecepta convellerentur, propterea quod semper responderi posset, metaphorice id asseri, ac praecipi.

112. Objicitur 3.°, quod Christus Jo. 6. correxerit errorem Capharnaitarum, qui id, quod dixerat de ejus carnis manducatione, literaliter, ac materialiter acceperant; illis nempe verbis: *Spiritus est, qui vivificat, caro autem non prodest quidquam. Verba, quae locutus sum vobis, spiritus, et vita sunt.* In quae Christi verba ita D. Aug. in Ps. 98. *Non hoc Corpus, quod videtis, manducaturi estis, nec bibituri illum Sanguinem, quem fundent, qui me crucifigent.* Resp. tamen, Christum correxisse carnalem intellectum Ca-

pharnaitarum, qui ita Christi verba acceperant, quasi ipsius caro dentibus comminuenda esset, et in substantiam proprii corporis convertenda. Hinc quoque D. Aug. inquit, quod fideles manducaturi non erant corpus, quod videbant, in forma scilicet visibili, et humana, nec dentibus illud dilaniaturi, hoc namque modo manducatur caro mortua, quae nihil prodest spiritui, non autem Corpus Christi, quo nutrimur in Eucharistia, ubi Sacramentum tantum, seu signum illud est, quod dentibus comminuitur, non vero Christus, juxta id, quod canit Ecclesia: *Nulla rei fit scissura - Signi tantum fit fractura - Qua nec status, nec statura - Signati minuitur.* Hunc porro fuisse S. D. sensum, patet ex eodem loco, e quo opposita verba sunt desumpta. Exponens namque illius Psalmi verba: *Adorate scabellum pedum ejus*; eaque conferens cum illis Isaiae verbis: *Coelum mihi sedes est, et terra scabellum pedum meorum* (66.): *Quomodo* (inquit) *adorabimus terram, cum Scriptura aperte dicat: Dominum Deum tuum adorabis?* Ad quod respondet: *Fluctuans converto me ad terram, suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est, et de carne Mariae carnem suscepit. Et quia ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit, nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit, inventum est, quomodo adoretur tale scabellum pedum Domini, et non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando.*

113. Objicitur 4.° idem S. D. tract. 26. in c. 6. Jo.: *Hoc est illam manducare carnem, in Christo manere, et illum in se manentem habere; ac per hoc*

qui non manet in Christo, et in quo non manet Christus, proculdubio non manducat carnem ejus, licet carnaliter, et visibiliter premat dentibus Sacramentum Corporis, et Sanguinis Christi. Non igitur realiter, sed metaphorice in Eucharistia. Ad quod resp., quod, ut advertit Trid. *sess.* 13. *c.* 8., recte, et sapienter Patres tres rationes hoc Sacramentum suscipiendi distinxerunt. Quidam namque, ut peccatores, Sacramentaliter dumtaxat illud recipiunt: alii spiritualiter, nimirum qui fide viva, quae per dilectionem operatur, Christo uniri cupientes, sine Sacramento fructum Sacramenti ex parte percipiunt: alii demum Sacramentaliter simul, et spiritualiter, qui recte dispositi ad sacram mensam accedunt. Tria enim in manducatione habentur: Primum nempe comminutio cibi, quae fit in ore dentium ministerio: Secundum trajectio cibi in stomachum: Tertium, quod est praecipuum, ipsa refectio, seu nutritio per conversionem cibi materialis in substantiam comedentis; quo postremo deficiente, vere, et proprie dicimus, hominem, cujus stomachus acceptum cibum statim rejicit, cibum non capere, nec manducare, quamvis cibum dentibus conterat, atque in stomachum trajiciat. Quemadmodum autem nutritio materialis, et animalis fit calore naturali, sic supernaturalis, et spiritualis fit fide viva, quae scilicet, ut diximus, per dilectionem operatur, per hanc enim Christo unimur, atque in eum tranformamur. Quae cum desit in peccatoribus, hinc D. Aug. scripsit, quod licet Sacramentum dentibus terant, Christi tamen carnem non manducant, quia nempe per ipsam spiritualiter non reficiuntur.

Dei potentiam, qua impenetrabilitatis effectus impediatur, utique possibilis dicenda est.

115. Nec verum est, quod posita compenetratione corporum, ex pluribus fieret unum; ideoque ea posita, *idem simul esse, et non esse* inde sequeretur, multiplex nempe, et non multiplex. Est enim compenetratio *duorum, vel plurium entium in eodem loco coexistentia.* Porro sicut ex eo quod plures substantiae habeant eumdem respectum ad successiva, idest eodem tempore existant, nemo infert, earum esse fieri unicum, sic neque ex eo, quod eumdem respectum habeant ad coexistentia, idest eodem loco coexistant, inferri potest necessario, earum esse fieri unicum; uterque enim respectus, ad successiva scilicet, et ad coexistentia, aeque extrinsecus advenit. Nec etiam verum est, quod ex compenetratione corporum sequeretur compenetratio substantiarum. Haec autem repugnat, tum quia est de essentia substantiae existere extra alteram, quippe quod omnis substantia ex sua essentia ab altera distinguitur: tum quia unicum discrimen inter substantiam, et accidens in eo ponitur, quod substantia nullo subjecto inhaesionis eget, accidens vero nequit existere sine subjecto, cui inhaereat. Nam 1.° negatur, quod ex compenetratione corporum sequatur compenetratio substantiarum; substantiae enim in corpore non sunt, nisi sola elementa; quae tamen in corporum compenetratione necesse non est, ut compenetrentur, cum singula unius corporis elementa, persistente mutuo inter se nexu, possint in intervallis vacuis elementorum alterius collocari. 2.° negatur, quod compenetratio substantiarum repugnet,

quod enim substantia existere debeat in loco ab alia distincto, id est, quod in quaestione versatur; nec est, qui non videat, quod qui identitatem, et distinctionem entium ab identitate, et distinctione loci repetunt, non habent, unde ipsam hanc loci identitatem, et distinctionem explicent. Ex eo autem, quod duae substantiae in eodem loco existerent per compenetrationem, consequens non est, quod una in altera existeret, tamquam in subjecto inhaesionis, cum enim quaevis illarum suam retineret essentiam distinctam, suam quoque haberet distinctam existentiam, per quam existeret.

116. Nec magis habet roboris, quod Genuensis *Elem. Met. p.* 1. §. 61. proponit, dicens, quod cum proprietates a substantia separari nequeant, hinc si duae substantiae compenetrarentur, earum quoque proprietates compenetrarentur. Quomodo autem fiet, ut uno, eodemque loco existant proprietates contradictoriae, puta malleabilitas auri, et fragilitas vitri in hypothesi compenetrationis cubi aurei cum vitreo? Resp. enim, quod sicut post compenetrationem etiam substantiae distinguuntur, per earumdem nempe et essentiam, et existentiam distinctam, ita et proprietates, utpote quae a substantia separari nequeunt: quae proinde tametsi eodem in loco existerent, suis tamen respective subjectis inhaererent. Quibus perpensis, cum standum semper pro Dei omnipotentia, quamdiu alicujus rei repugnantia clare non demonstretur, nec liceat ei quodpiam objectum subtrahere eo tantum titulo, quod illud finita, et imbecilli nostra intelligentia non assequamur; hinc etiam posito, quod Euch. compenetratio-

nem Corporis Christi credendam proponat, non ideo dicendum, quod objectum Dei omnipotentiae esse nequeat.

117. Æque autem non adversatur Eucharistiae Sacramento Christi Corporis replicatio: si enim aliqua in replicatione corporum adesset contradictio, haec esset, quod idem corpus fieret multiplex. Id autem falsum: multiplicato enim loco, quoniam hic non est, nisi relatio, seu determinatio externa, hinc non aliud multiplicatur, nisi quaedam relatio, seu externa determinatio; ex qua relationis multiplicatione consequens non est, ipsum corpus multiplicari, propterea quod omnis relatio non convenit enti in se spectato, sed tantum comparate ad alia. Et sane fit ne corpus multiplex ex eo quod existat per plura temporis momenta in eodem loco, vel successive in pluribus locis? Neque igitur ex eo, quod eodem temporis momento in pluribus locis existat.

118. Objicitur quidem, illa esse realiter distincta, quae distinctis in locis existunt, cum nihil possit esse a seipso distans. Quae igitur distinctis in locis existant, nequeunt unum idemque esse; ideoque impossibilis dicenda unius, ejusdemque corporis replicatio. Resp. tamen, neg. ant., si abstrahatur a naturae legibus, et sermo fiat de absoluta Dei potentia: quamvis enim nihil possit esse a seipso distans, ad hoc tamen, ut aliquid ab altero distet, requiritur, ut illud ibi non sit, ubi est alterum. Corpus autem replicatum existens in uno loco non abest a seipso existente in alio loco. Quod quidem paritas a tempore insigniter illustrat: sicut enim illa tantum tempore

se distant, quorum unum non existit tempore, quo existit alterum; corpus vero per plura temporis momenta perdurans illud idem est vigesimo momento, quod erat primo momento existens: ita illa tantum loco a se distare dicendum est, quorum unum ibi non sit, ubi est alterum; corpus vero in pluribus locis replicatum illud idem dicendum est in uno loco, quod est in altero.

119. Objicitur quoque, nonnullas contradictiones sequi ex replicatione corporum: quod nempe idem corpus esse posset alteri contiguum, et simul ab eodem distans: quod moveri posset in uno loco versus ortum, in altero versus occasum: quodque demum a dato loco circumscriberetur simul, ac non. Iis tamen omnibus uuica responsione fit satis, quod numquam contradictio habetur, nisi unum, idemque affirmetur, et negetur simul de eodem, et sub eodem respectu. Corpus autem replicatum sub diverso respectu esset, et non esset alteri contiguum, etc.

120. Demum, quidquid vel ex compenetratione, vel ex replicatione Corporis Christi objici possit adversus Euch. Mysterium, an nescimus, ut sapienter scribit Abb. Flexier Catech. Filos. t. 3. c. 5. art. 4., *che arbori grandissimi son disegnati, e disposti ne' germi appena visibili agli occhi: che gli oggetti più estesi, e più moltiplicati si dispongono con molta proprietà sulla coroide, la quale non ha che mezzo pollice di larghezza: che i raggi della luce tramandati da una parte di una immagine grande si riuniscono nel punto del foco, senza confondersi, senza meschiarsi? Che un corpo poi non possa esser nell' istesso tem-*

po in due differenti luoghi, senza dubbio ciò sorpassa il potere umano: ma ov' è la ragione, che rende impossibile a Dio questo prodigio? Il dotto Leibnitz (Essai Theol. T. 1. Disc. de la Conformité de la Foi avec la Raison) non vedeva in ciò veruna contradizione: e 'l famoso Voet Professore, e Ministro in Utrecht non ne vedeva più del medesimo. Un cieco nato non concepisce meglio, che una medesima cosa comparisca in molti specchi di quel che noi concepiamo l' esistenza di un corpo in molti luoghi. È più contradittorio, che uno spirito sia in più luoghi, che un corpo? Iddio Egli è tutto intero in tutti i luoghi. Ci ha senza dubbio della differenza tra la natura di Dio, e la natura del corpo umano; ma questa differenza, non ha niente che fare colla cosa presente. L' infinità, e l' immensità di Dio non possono autorizzare una contradizione; e se ce ne fosse nell' esistenza di una cosa in molti luoghi, si farebbe sentire in riguardo della natura di Dio, come in riguardo degli esseri creati sì spirituali, che corporali. Praeclare etiam Bolgenius *Diss. sugli atti um.* §. 496., *è segu. Le nostre idee tutte nascono o immediatamente, o mediatamente dai sensi. Dunque quando discorriamo di Dio, e de' suoi attributi, necessariamente ne discorriamo con idee, le quali si risentono della materialità, per dir così, della loro origine, e seco portano tutta l' imperfezione della potenza producitrice. Posto ciò, subito la retta ragione detta evidentemente, che su tali raziocinj non può farsi fondamento: e che sebbene l' evidenza supposta delle difficoltà degl' increduli non possa distruggersi con risposte di-*

rette, certa cosa è, che tale evidenza nasce da idee sommamente oscure, imperfette, e limitate. Dunque è una evidenza fallace. Dunque non è da Filosofo il fidarsi di essa, anzi nettampoco il proporla. Colla qual sola indiretta risposta cadono a terra tutti i raziocinj di Baile, di Spinosa, di Voltaire, e di tutti gl' Increduli.

121. Nedum tamen de fide est, Christum realiter adesse in Eucharistia, sed de fide quoque est, totum Christum contineri sub qualibet ex sacris speciebus; quod et Trid. definiit *sess.* 13. *can.* 3., et manifeste evincitur ex illis Christi verbis Jo. 6. *Qui manducat me, et ipse vivet propter me*: ubi notandum, quod non ait *Corpus meum*, sed *me*. Hinc definiit ipsum Trid. sess. 13. c. 3.: *Corpus* (existere) *sub specie panis, et Sanguinem sub specie vini ex vi verborum; ipsum autem Corpus sub specie vini, et Sanguinem sub specie panis, Animamque sub utraque vi naturalis illius connexionis, et concomitantiae. Divinitatem porro propter ejus cum Corpore, et Anima hypostaticam unionem.* Cumque totus sit in Verbo Pater, sicut et Spiritus Sanctus propter circuminsessionem: hinc etiam tres Personas SS. Trinitatis praesentes quoque esse, adorari, et sumi in Eucharistia, consequens est. Nec tantum sub Sacris speciebus, sed sub qualibet earum parte totum Christum adesse, fides hujus Sacramenti credendum proponit. Quod quidem, *separatione facta*, de fide est ex Trid. *sess.* 13. *can.* 3.: et constat tum ex Christi verbis: *Dividite inter vos* (*Luc.* 22.); tum ex Ecclesiae praxi, quae peracta consecratione, eumdem panem frangere con-

suevit pluribus distribuendum, sicut et eumdem calicem adstantibus porrigere. Id autem exemplo explicans Samona Episcopus Gazae, *est* (ait) *imago tua in speculo pro Crystalli extensione angustior, aut amplior. Si speculum frangas, in unoquoque fragmine eumdem imaginem videbis expressam. Ita et caro Christi integra est in unoquoque fragmento* (*T.* 18. *Bibl. PP. p.* 579.). Diximus *separatione facta*: citra quam non est de fide, sed certum ap. TT., cum per fractionem, aut divisionem non fiat nova consecratio, quae Christum sistat praesentem, ubi non erat. Nec inde sequitur, quod Christus in una, eademque hostia sit multiplex, quia numerus divisionem supponit.

122. Non meminimus porro, nisi specierum tantum panis, et vini, cum de fide quoque sit, praefatis verbis: *Hoc est Corpus meum: Hic est calix Sanguinis mei*, panis, ac vini substantiam in Corpus, et Sanguinem Christi totam converti, manentibus dumtaxat panis, ac vini speciebus, ut etiam definiit Trid. *sess.* 13. *can.* 2.. Est autem istud dogma *transubstantiationis*, cui opponitur *impanatio*, et *consubstantiatio* haereticorum: ex iis namque alii docuerunt, Verbum Divinum hypostatice uniri cum pane, et vino, eo fere modo, quo per Incarnationem humanae Naturae se copulavit, non admittentes proinde in Eucharistia Corpus Christi, sed tantum Verbum Divinum: alii, Luthero duce, quod simul cum Christi Corpore, et Sanguine adest in Eucharistia panis, ac vini substantia. *Impanationem* porro manifeste exclu-

di, ac refelli relatis verbis, probatione non eget: iisdemque manifeste excludi, ac refelli *consubstantiationem*, ex eo patet, quod cum pronomen *Hoc*, et *Hic* sit demonstrativum substantiae sensibus tunc praesentis, hinc, facta consecratione, de fide est, substantiam sensibus praesentem esse Corpus, et Sanguinem Christi. Si autem simul cum Christi Corpore, et Sanguine maneret in Eucharistia substantia panis, et vini, haec dicenda esset sensibus praesens: Non ergo substantia panis, et vini, sed tantum utriusque species in Eucharistia manent. Addit Bellarminus, quod sicut de crumena, in qua sit aurum cum argento dici nequit simpliciter: *Hoc est aurum*: ita si cum Christus dixit: *Hoc est Corpus meum*: *Hic est calix Sanguinis mei*, fuissent simul Corpus, et panis, Sanguis, et vinum, id dicere non poterat simpliciter, sed dicere debuisset: *Hoc non est solum panis*, *sed et Corpus meum*, *etc.*

123. Ajunt quidem Haeretici 1.°, simul cum substantia panis etiam cohaerere dogma Eucharistiae: si enim de ferro candente vere dicitur, *Hoc est ignis*, de Christo *Hic est Deus*; de vini dolio, *Hoc est vinum*: a pari vera erit propositio, *Hoc est Corpus meum*, etsi corpus includatur in substantia panis. 2.° quod ex Eucharistia, dum diu asservetur, vermes generantur. Ex Corpore autem Christi, utpote incorruptibili, vermes generari nequeunt: Ex substantia igitur panis, quae simul cum Corpore Christi remanserit, generari, dicendum est. Resp. tamen ad 1., improprie tantum dici de ferro candente, *Hoc est ignis*,

ut perspicuum est. De Christo autem vere dici, *Hic est Deus*, propterea quod hac propositione demonstratur persona, quae in Christo est unica, estque persona Verbi Divini. At sicut dici nequit: *Natura humana est Natura Divina*, ita nec panis Corpus Christi, quia pars nequit de parte praedicari. Quod si demum dicitur de vini dolio, *Hoc est* vinum, id est, quia ubi sermo est de vase, homines non attendunt continens, sed contentum. Panis autem, et vinum non est institutum ad continendum aliquid; unde ridicula esset enuntiatio de pane, in quo nummus occultaretur, *Hic est nummus*. Ad alterum vero, quod cum Eucharistia sit praecipium fidei Mysterium, hinc sicut Deus disposuit, quod ex speciebus panis, et vini per operationem supernaturalem, sive miraculum omnes effectus producerentur, qui ex substantia panis, et vini producuntur, ita etiam quod vermes per operationem quoque supernaturalem, sive miraculum ex iisdem producerentur.

124. Demum Dei Omnipotentiam in Eucharistia panis, ac vini substantiam destruere, ac sub ejus apparentiis praesens Christi Corpus sistere, quod sensus afficiat perinde ac prius panis, ac vini substantia, nullam prorsus contradictionem exhibet. Cui accedit, quod non est sanae mentis velle Divinam potentiam modulo intelligentiae nostrae metiri.

Caput III.

De necessitate Eucharistiae.

125. Necessarium esse hoc Sacramentum necessitate tantum praecepti, non vero medii, nisi in voto, observandi scilicet omnia, quae praecepta sunt, quorum unum est, ut mox videbimus, hujus venerabilis Sacramenti susceptio, apud omnes DD. commune est. Idque probatur, quia si ad salutem necessaria esset necessitate medii, infantes post Baptismum decedentes eam non consequerentur: quod falsum esse, patet tum ex Ap. *ad Rom.* 8., qui loquens de renatis per Baptismum, *nihil damnationis* (inquit) *est in iis, qui sunt in Christo Jesu*: tum quia secus Ecclesia nec mutasset morem Eucharistiam tradendi simul cum Baptismo; nec illius administrationem tam caute Presbyteris, et ad summum Diaconis reservasset, sed quemadmodum Baptismum, ita Eucharistiam ipsis mulieribus in casu necessitatis conferre permisisset. Hinc per 12. quidem saecula ipsis infantibus Ecclesia ministravit Eucharistiam, cum enim per Baptismum effecti sint justi, fiunt etiam capaces hujus Sacramenti, ipsiusque fructus. Ob periculum tamen irreverentiae erga tam magnum Sacramentum; utpote non necessarium necessitate medii, sed tantum praecepti, antiquam hujuscemodi disciplinam deinde mutavit.

126. Praeceptum autem suscipiendi hoc Sacramentum duplex est, *Divinum*, et *Ecclesiasticum*: de quorum primo constat ex illis Christi verbis Jo. 6. *Nisi*

manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis. De altero constat tum ex c. *Omnis De Poenit.*, *et remis.*, tum ex Trid. *sess.* 13. *can.* 9.: *Si quis negaverit, omnes, et singulos Christi fideles, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum juxta praeceptum S. Matris Ecclesiae, anathema sit.* Et 1.° omnes ex praecepto Divino tenentur saepe in vita, ac demum in mortis periculo hoc Sacramentum suscipere. *Saepe in vita*, quia ut oportet, ait Lig. n. 295., saepe sumere materialem cibum ad servandam vitam corporalem, ita saepe coelestem hunc cibum sumere ad servandam vitam spiritualem. Subjungens simul: Caeterum certum est apud omnes, quod huic praecepto, per se loquendo, quisque satisfaciat communicando semel in anno. *Ac demum in mortis periculo*, ut contra hostes spirituales tunc temporis maxime urgentes Divino hoc praesidio muniantur: idque sive periculum sit ex morbo, vulnere, veneno, sive ex sententia Judicis: utque refert Ronc., S. Pius V. improbavit consuetudinem non ministrandi Eucharistiam damnatis ultimo supplicio: ex Conc. enim Nicaeno *can.* 13., Eucharistia danda est omnibus, *qui ad vitae exitum veniunt.* Iis autem danda est etiam eadem die mortis, modo communio ex Lig. l. 3. n. 379. praecedat per horam executionem: ac si fieri potest, non in carcere, vel alio in loco inhonesto, sed in loco decenti. Qua super re consulatur etiam quod diximus l. 2. n. 176.

127. An autem qui mane communicaverit ex devotione, teneatur, ac possit urgente mortis periculo

viaticum sumere, DD. dissentiunt. Quidam enim dicunt, teneri, quia enim tunc urget mortis periculum, tunc quoque urget praeceptum Divinum communicandi. Alii dicunt nec teneri, nec posse: cum enim Ecclesiae, ut ait Trid. *sess.* 21. *c.* 2., Christus potestatem fecerit, *ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quae suscipientium utilitati, et Sacramentorum reverentiae magis expedire judicaret*; eaque determinaverit, ut nemo bis in die communicet: neque etiam proinde in necessitate id fieri potest. Lig. vero n. 285. distinguit inter morbum naturalem, et violentum; si quis enim (inquit) fuerit vulnere percussus, vel ex alto ceciderit, potest, et tenetur communicare, cum revera non susceperit Sacramentum in mortis periculo constitutus. Secus si ex apoplexia, vel alia simili causa naturali videatur proxime moriturus, cum in hoc casu jam mane communicaverit in mortis periculo, quia jam ex causa intus latente erat proxime in illud conjiciendus. Certe tamen tenetur, vel saltem probabilius ex eodem Lig., Viaticum sumere, superveniente mortis periculo, qui paucis ante diebus ex devotione communicaverit: quia enim instante mortis periculo obligat praeceptum communicandi, illi satisfieri non potuit priusquam ejus urgeret obligatio; nec dici potest, communicasse in mortis periculo, qui non erat tam proxime in illud conjiciendus.

128. Quamvis autem saepe in vita, et in mortis periculo adsit praeceptum Divinum communicandi, advertendum tamen est cum Lig. l. c. 1.°, quod verba: *Accipe, frater, Viaticum ec.*, probabile est,

posse omitti, casu quo infirmus magna animi tristitia Communionem per modum Viatici sit suscepturus: ad satisfaciendum enim praecepto non requiritur intentio satisfaciendi, sed sufficit, ut ponatur opus praeceptum, ex dictis l. 1. n. 98., aut saltem sufficit intentio interpretativa satisfaciendi obligationi, quae magis urget: ac etiamsi omnia in Rituali praescripta cadant sub praecepto, nullatenus tamen dici potest, quod praeceptum proferendi illa verba inducant gravem obligationem; maxime quía verba, quae substituuntur: *Corpus Domini nostri Jesu Christi ec.* reipsa idem significant, et operantur. Ad excusandum vero a peccato veniali in casu nostro bene sufficiens erit causa mutandi illa verba, ne infirmus magno moerore afficiatur 2.° quod ob reverentiam tam magno Sacramento debitam non obligat praeceptum Divinum communicandi, immo nequit Viaticum praeberi in periculo, quod aeger sacras species evomat: in quo casu prius danda illi est particula non consecrata, quam si rejiciat, nullatenus danda est consecrata; secus, si retineat. Si vero independenter a cibo perpetuo evomat, nullatenus quoque illi dandum est Viaticum, nisi forte per sex saltem horas liber a vomitu fuerit. In casu autem, quod aeger tussi vexetur, potest illi dari, quia flegma, quod ejicit, plerumque e pectore ascendit, ideoque non adest periculum ejiciendi sacras species, cum via, per quam sputa tussiendo excutiuntur, non sit oesophagus, seu via cibi, et potus ad stomachum, sed aspera arteria, seu via respirationis ad pulmones. Modo tamen, ut advertit Croix, tussis non sit ita assidua, ut non permittat, particulam in

stomachum descendere, in quo casu abstinendum quoque esset a Communione. 3.° quod ob eamdem reverentiam tam magno Sacramento debitam negandum est Viaticum perpetuo amentibus. *Licebit tamen* (ita Rit.), *si quando habeant lucida intervalla, et devotionem ostendant, dum in eo statu manent, si nullum indecentiae periculum adsit.* Quoad illos vero, qui non semper caruerunt rationis usu, sequenda est doctrina D. Th. 3. *p. q.* 80. *a.* 9., ubi: *Si prius, quando erant compotes suae mentis, apparuit in eis devotio hujus Sacramenti, debet eis in articulo mortis hoc Sacramentum exhiberi, nisi forte timeatur periculum vomitus, vel expulsionis.* Sufficit autem, ut subdit Lig. n. 302., *quod talis aeger pie vixerit, quia ex una parte praesumitur is interpretative communionem petere, et ex altera huic Eucharistia adhuc necessaria esse potest, nempe si incidisset in amentiam existens in peccato mortali, de quo solum attritus fuerit*: praeterquam *si certo praesumatur in amentiam incidisse penitus impoenitens.* Extra articulum tamen mortis nullatenus amentibus Eucharistia est tribuenda. Semifatuis vero, semper ac sciant distinguere coelestem hunc cibum ab aliis, danda est ex eod. Lig. n. 303. in articulo mortis, et tempore Paschali, de quo paullo infra: quod et subdit agendum cum *mutis*, et *surdis* a nativitate, modo ex signis constet, discretionem habere: et saepius etiam, si praediti sint non qualicumque discretione. Mutis tamen, surdis, et simul caecis a nativitate omnino neganda est. 4.° quod Epilepticis neganda est tantum in paroxysmo: quod et agendum cum obsessis a Daemone, quando non sunt sui compotes.

129. Ad praeceptum modo Ecclesiasticum progredientes, vi hujus omnes tenentur, ut diximus n. 126, semel in anno, idque in Paschate ad communicandum, intra tempus scilicet a Dominica Palmarum incipiens usque ad Dominicam in Albis, nisi ex consuetudine, necessitate, vel privilegio aliud temporis concedatur. Hinc sequitur 1.°, quod qui tempore Paschali omiserit communicare, ad id quamprimum tenetur, ut docet communior sententia, cui Lig. n. 297. subscribit cum Ben. XIV.; idque tum ex praecepto Divino, cui, ut diximus l. c., non satisfit, nisi saltem in anno hoc Sacramentum suscipiatur; tum ex praecepto Ecclesiastico, quia tempus Paschale non est ab Ecclesia assignatum ad finiendam obligationem, sed ad eam sollicitandam; ex quo sequitur, quod si obligatio jam contracta nondum impleta fuerit, quamprimum impleri debeat: maxime cum Ecclesia relate ad hoc Sacramentum duo imposuerit praecepta, unum, nempe communicandi infra annum, alterum communicandi in Paschate, ut colligitur tum ex *cit.* c. *Omnis*, tum ex illis Trid. verbis: *Singulis annis, saltem in Paschate.* Si igitur communio fuerit in Paschate omissa, debet, antequam annus elabatur, quamprimum impleri. Hinc etiam, ut probabilius quoque censet Lig., si quis omiserit communicare in Paschate, toties deinde peccat, quoties data opportunitate Communionem differt; ob rationem nempe supra allatam, quod praeceptum communicandi in Paschate non est datum ad finiendam, sed ad sollicitandam obligationem: subjungens, non esse improbabile, quod docet prae aliis D. Antoninus, quod qui in Paschate omiserit com-

municare sive ex impotentia, sive ex malitia, non amplius teneatur illo anno ad communionem: cum enim non constet certo de praecepto Divino communicandi semel in anno, sed tantum saepe in vita, hinc praeceptum communicandi semel in anno, et quidem in Paschate, dicendum est mere Ecclesiasticum; non secus ac praeceptum saepe colendi Deum est quidem etiam Divinum, sed praeceptum audiendi Missam in diebus festivis est tantum Ecclesiasticum. Quare sicut nemo tenetur jejunare, aut Missam audire, elapso die vigiliae, aut Festi, ita nec communicare, elapso tempore Paschali.

130. Sequitur 2.°, quod qui non potest communicare tempore Paschali ob aliquod impedimentum, tenetur praevenire: cum enim Ecclesia duo, ut diximus, imposuerit praecepta quoad Communionem, nempe unum communicandi infra annum, alterum communicandi in Paschate; hinc si obligatio communicandi in Paschate nequeat ob aliquod impedimentum impleri, debet saltem impleri obligatio communicandi semel in anno. Ita ex eod. Lig. n. 298. valde probabilior sententia: qui simul advertit n. 297., quod si quis communicaverit ante tempus Paschale praevidens impedimentum communicandi in Paschate, cessante deinde impedimento, tenetur denuo in Paschate communicare, quia intentio habita satisfaciendi praecepto illius anni efficere nequit, ut actus positus tempore, quo nondum coeperat obligatio, fuerit satisfactorius: sicut praevidens die Dominico impeditum iri, quin Missam audiat, certe non satisfacit crastinae obligationi audiendo hanc die praecedenti.

131. Sequitur 3.°, quod licet ex relatis Trid. verbis videatur, teneri pueros ad Communionem Paschalem statim ac annos discretionis, usum scilicet rationis attigerint; eaque sit sententia D. Antonini t. 3. tit. 14. c. 12., ubi: *Cum puer est doli capax, seu potest mortaliter peccare, tunc obligatur ad praeceptum de Confessione, et per consequens de Communione, quae simul dantur*, et ad quam, ut subdit Lig. n. 301., minor requiritur rationis discretio, quam ut disponatur ad absolutionem per debitum dolorem: probabilior tamen sententia ex eod. Lig. *ibid.* id negat, ut cum majori reverentia, et fructu hoc Sacramentum suscipiant. Relatis autem Trid. verbis vel derogatum est a consuetudine; vel anni discretionis, de quibus Conc. loquitur, intelligendi sunt ex subjecta materia; ut nempe cum quis pervenerit ad annos discretionis pro Confessione, confiteatur; cum ad annos discretionis pro Communione; quae dum majoris est excellentiae, non est simul tantae necessitatis, communicet. Regulariter porro loquendo non tenentur pueri ex eod. Lig. ad Communionem ante nonum, vel decimum annum; eamque subdit, non esse iis differendam ultra duodecimum, vel saltem ultra decimum quartum; aitque *regulariter*, quia citius possunt ad eam obligari, si nempe ante talem aetatem perspicaciores conspiciantur. Ex cujus etiam sent., etsi non teneantur communicare statim post adeptum rationis usum, non tamen prohibentur ad Eucharistiam accedere semper ac sciant discernere coelestem hunc cibum a profano; tunc enim, ut inquit D. Th. 3. p. 80. a. 9. *quia possunt aliquam devotionem concipere, non est vis hoc*

Sacramentum denegandum. Quod et confirmatur ex c. penult. caus. 26. q. 6., ubi: *Cui Poenitentiae Sacramentum conceditur, neque Eucharistiae Sacramentum negari debet, si desideret.* Immo pueris, qui sunt rationis compotes, in articulo mortis, nedum dari posse, sed dari debere communionem, docet prae aliis Ben. XIV. *de Syn. l. 7. c. 12. n. 3.*: quia ex una parte tenentur in tali periculo ex praecepto Divino communicare, et ex altera casus necessitatis, ne frustrentur hujus Sacramenti effectu, majorem tunc dispositionem non exposcit.

132. Ad complementum modo Communionis Paschalis advertatur, quod Communionem Paschalem tenetur quivis sumere in Parochia a proprio Parocho, vel saltem ex ejus licentia in aliena Ecclesia ex relato *c. Omnis de Poenit. et remiss.*; nec praecepto satisfacit, quamvis illam sumat, ut Lig. advertit num. 300., in Ecclesia Cathedrali, nisi aliter consuetudo ferat. Excipiuntur tamen peregrini, et vagi, **qui possunt illam sumere ubi iis libet, etsi enim Tour. et Barbosa, aliique dicant, quod Communionem Paschalem sumere debeant de manu Parochi loci, quia iste censendus tunc est eorum Pastor**, ad id tamen teneri negat Lig. n. 240., ex quadam Decl. Eug. IV., qui concessit Peregrinis, ut possint in Parochiae hospitiis communicare in Paschate, non autem coegit. Quoad illos vero, qui in Monasteriis degunt, vel in locis exemptis a cura Parochorum, docet *ibid.* Lig. ex Ben. XIV. *Not.* 55. n. 2., quod illi tantum hujusmodi exemptione gaudent; ideoque Communionem Paschalem sumere possunt in ipsis Monasteriis, qui,

ut habetur in Trid. sess. 24. c. 11., *actu inserviunt, intra eorum septa, ac domos resident, sub eorumque obedientia vivunt.* Qua super re refert idem Ben. plura S. C. Decr., et signanter illud, quo die 22. Nov. 1721. declaravit, famulos Monialium degentes in domibus sitis in atriis Monasteriorum, muro circumvallatis, quae sunt contigua Monasteriis, cum janua, quae clauditur, teneri tamen in propria Parochia Communionem Paschalem suscipere. Sacerdotes autem, ut advertit Lig. n. 300., ubivis celebrando, satisfaciunt praecepto communicandi in Paschate: si vero non celebrent, sed communicent tantum, tenentur, ut alii laici, communicare in Parochia.

133. Superest modo refellamus haereticorum errorem, quod ex praecepto Divino teneantur omnes ad suscipiendum hoc Sacramentum sub utraque specie. Et 1.° viguit quidem usus in Ecclesia Eucharistiam Laicis praebendi sub utraque specie usque ad saeculum 12.; ex quo sequitur, non fuisse a Christo vetitum, quod et Laici hoc Sacramentum sub utraque specie susciperent. Exinde vero usus solius panis speciei sensim invaluit; donec Ecclesia justis de causis usum calicis Laicis prorsus abstulit: scilicet et propter effusionis periculum; praesertim ubi fuisset magna populi multitudo; et propter difficultatem diu asservandi species vini pro infirmorum Communione, quin in acedinem abijssent; et propter repugnantiam bibendi cum multis in eodem calice; et propter vini penuriam in multis regionibus; ac demum ob Haereticorum pertinaciam, obstinate contendentium, usum sub utraque specie esse omnibus jure Divino

*

ad salutem necessarium, quorum errorem anathemate perculit Trid. *sess.* 21. *can.* 1. Et sane quod illud sufficiat sumere sub una tantum specie, probatur 1.° ex Christi verbis: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum. Hic est panis de Coelo descendens, ut si quis ex ipso manducet, non moriatur. Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum. Qui manducat me, et ipse vivet propter me.* Cum autem in his verbis non fiat mentio, nisi solius panis speciei, quid clarius, quam ad salutem sufficere sumptionem Eucharistiae sub illa tantum specie? 2.° ex Ap. 1. *ad Cor.* 11. ubi: *Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini ec.* His autem Apostolus non indicat, nisi alterutrius speciei sumptionem. 3.° ex c. 2. Actuum, ubi non fit mentio, nisi solius fractionis panis, in cujus communicatione dicitur, fideles fuisse perseverantes. 4.° Quia si totus Christus tam sub una, quam sub altera specie continetur, quorsum necessitas sumptionis utriusque? Hinc sub unica specie verum, integrum, ac perfectum esse Sacramentum, declaravit Trid. *sess.* 21. *c.* 3., ubi: *Quamvis Redemptor noster hoc Sacramentum in duabus speciebus instituerit, tamen fatendum est, etiam sub altera tantum specie totum, atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi; ac propterea quoad fructum attinet, nulla gratia necessaria ad salutem eos defraudari, qui unam speciem solam accipiunt.*

134. Objicitur ab Haereticis 1.° quod Christus ait Jo. 6.: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Utriusque igitur speciei sumptio necessaria ad salutem.

Resp. tamen *neg. cons.*, 1.° quia familiare est in Scripturis, particulam *et* disjunctive sumi, ut cum dicitur Ex. 21.: *Qui percusserit patrem, et matrem, morte moriatur*; idest *patrem*, *vel matrem*: et Act. 3.: *Argentum, et aurum non est mihi*; idest vel aurum: qui enim alterutrum habuisset, non fuisset stipem erogandi impotens. Jam vero disjunctive accipi debere, probat series contextus; ibidem namque paullo post ipse Christus addit: *Qui manducat me, vivet propter me.* Et rursus: *Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum.* Quae falsa essent, si verba: *Nisi manducaveritis ec.* conjunctive, non vero disjunctive, accipi deberent. 2.° quia sub una specie dum sumitur Corpus, per concomitantiam sumitur et Sanguis. 3.° quia multa in Scripturis sunt praecepta, quae non per singulos, sed per aliquos sunt implenda; ut cum dicitur Gen. c. 2.: *Crescite et multiplicamini.*

135. Objicitur 2.° illud ejusdem Christi Matth. 26., dum Eucharisticum calicem discipulis porrexit: *Bibite ex hoc omnes.* Ex Christi igitur institutione et sub specie panis, et sub specie vini hoc Sacramentum sumendum. Sed et resp. *neg. cons.*, tum quia solis discipulis, eorumque in Sacerdotio successoribus dixit Christus illa verba, quibus et dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*: tum quia eadem invitantis potius sunt verba, quam praecipientis; unde praeceptum communicandi non quidem ex verbis: *Bibite ex hoc omnes* DD. colligunt, sed ex illis: *Nisi manducaveritis ec.* Cur autem porrigendo calicem, non vero panem addiderit Christus, vocem *omnes*, ratio est, quia panem fregit, et distribuit in partes, qui-

bus satis significavit, non uni, sed omnibus illum consecrasse. Calix vero erat unus, ex quo bibendum idcirco monuit ab omnibus.

136. Objicitur 3.°, quod fideles communicando repraesentare debent Christi mortem ex praecepto Apostoli l. c. *Quotiescumque manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis.* Haec autem non repraesentatur, nisi per sumptionem utriusque speciei. Ad quod resp., *neg. min.*, bene enim etiam repraesentatur per sumptionem Sacramenti sub specie solius panis, utpote sub qua vi verborum constituitur Corpus Christi, velut exangue, et mortuum.

137. Objicitur 4.°, quod cum Christus non prohibuerit Laicis sumere hoc Sacramentum sub utraque specie, liberum est fidelibus illud sub utraque specie suscipere - Sed contra, potestatem namque habet Ecclesia ex ipsius Christi institutione, ut semper creditum est, ac diximus n. 12., ut in Sacramentorum dispensatione ea statueret, ac mutaret, salva illorum substantia, quae suscipientium utilitati, ipsorumve Sacramentorum venerationi magis expedire judicasset.

138. Quamvis autem sumptio hujus Sacramenti sub una tantum specie praecepta fuerit, utramque tamen speciem consecrare, est de jure Divino, quia utriusque consecrationem exigit et ratio Sacramenti, utpote quod institutum per modum convivii, quod cibo, et potu perficitur, et ratio Sacrificii, ut infra patebit. Immo dum nemo dubitat, quin valida sit consecratio unius tantum speciei sine altera, si id casu accidat, disputatur tamen inter DD., an valide consecraret Sacerdos, qui positivam haberet intentionem

consecrandi unam tantum speciem sine altera. Et quamvis communior sententia affirmet, quia in omni Sacramento semper ac Minister formam profert super materia cum intentione faciendi quod significant verba perficit Sacramentum; non improbabiliter tamen juxta Lig. n. 196. id negat Lugo, quia (ut ait) ratio Sacramenti dividi nequit a ratione Sacrificii, Sacerdos enim non accipit potestatem conficiendi hoc Sacramentum, nisi sacrificando, ut patet ex forma ordinationis: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium tam pro vivis, quam pro defunctis.* Unde cum ad essentiam Sacrificii pertineat consecratio utriusque speciei, Sacerdos proinde, qui Sacrificium offerre nolit, neque etiam Sacramentum conficit. Nec obstat D. Th., qui videtur contrarium docere 3. *p.* *q.* 78. *a.* 6.; loquitur namque eo loci S. D. de iis, qui dicerent, non consecrari Corpus, nisi postquam consecratur Sanguis, quod certe est falsum.

Caput IV.

De Ministro Eucharistiae.

139. Solis Sacerdotibus, contra id, quod Lutherus docuit, potestatem datam a Christo fuisse Eucharistiam conficiendi, fide indubitata tenendum; iis namque solis in persona Apostolorum dictum fuisse: *Hoc facite in meam commemorationem*, constat tum ex Traditione, tum ex def. Trid. *sess.* 12. *can.* 2. Et sane nonne ad tantum Ministerium Ministros singulari modo consecratos esse oportebat? Quod si om-

nes fideles dicuntur 1. Petr. c. 2. *regale Sacerdotium*, tales dicuntur, non ob potestatem, quam habeant, conficiendi Eucharistiam, sed ob potestatem spiritualem offerendi Deo preces, ac bona pietatis opera, quae sunt spirituales hostiae, ut patet ex verbis immediate sequentibus: *Ipsi tamquam lapides vivi superaedificamini domus spiritualis, Sacerdotium Sanctum, offerre spirituales hostias acceptabiles Deo per Jesum Christum.* Porro cum plures Sacerdotes, quemadmodum fit a novis Sacerdotibus celebrantibus simul cum Episcopo, consecrant eodem tempore unam hostiam, omnes quidem Sacramentum conficiunt, si una simul compleant formam: si vero aliquis eorum ante alios formam compleat independenter ab aliorum intentione, ipse conficit Sacramentum, ita ut alii frustra formam postea absolverent. Ex quo sequitur, ut Lig. advertit n. 232., quod curare debent, quoad fieri potest, simul cum Episcopo formam absolvere; nec intentionem consecrandi habere, nisi cum Episcopo formam eodem tempore absolvant; ac praeterea in consecratione calicis nolle consecrare, si panem forte ipsi non consecraverint: vel etiam, ne scrupulis locus detur, potest Neopresbyteris suaderi, quod consecrare intendant modo, et quando id vult Ecclesia.

140. Eo ipso autem, quod confectio Eucharistiae ordinatur ad ejus dispensationem, quamadmodum soli Sacerdotes ii sunt, ad quos spectat illam conficere, ita soli Sacerdotes ii sunt, ad quos spectat eamdem dispensare, ut illius Ministri Ordinarii; nec Diaconi habendi sunt, nisi ut Ministri extraordinarii, qui tantum possunt Sacerdotum jussu, ac si necessitas cogat, il-

lam distribuere. Quare ita Trid. sess. 13. c. 8.: *Semper in Ecclesia Dei mos fuit, ut Laici a Sacerdotibus Communionem acciperent, Sacerdotes autem celebrantes seipsos communicarent: qui mos tamquam ex traditione Apostolica descendens, jure, ac merito retineri debet.* Hinc Diaconus sine commissione illam ministrans, nedum graviter peccaret, sed etiam irregularitatem incurreret ex *c.* 1. *De Cler. non ord.*, quemadmodum diximus quoque n. 55. de Baptismo, quem solemniter, tametsi in casu necessitatis, ministraret. Potest autem Diacono Eucharistiae distributio committi nedum in necessitate extrema praebendi Viaticum absente Sacerdote, ut nimis rigide docent Cont. Tour., Habert, et Vitass., sed etiam, ut docet Lig. n. 237., in necessitate gravi, cum nullus nempe adsit Sacerdos, qui eam commode possit ministrare. Docens quoque *ibid.* 1.°, etiam inferiores Clericos, ipsosque Laicos probabiliter posse in necessitate extrema Eucharistiam sumere per seipsos: quia in tali necessitatis casu, idest in mortis articulo, urget praeceptum Divinum communicandi, nec ullo praecepto vel Divino, vel Ecclesiastico id videtur prohibitum; immo notum est, quod olim fideles Laici Eucharistiam in suas domos deferebant, ac seipsos propriis manibus communicabant: quod si iis hoc permittebatur ob necessitatem, cur, eadem necessitate occurrente, idem et nunc permitti non potest? 2.° probabiliter licere etiam laico in eadem necessitate ministrare viaticum moribundo, quia nulla fit Sacramento injuria, si in tali necessitate morienti ministretur Eucharistia a Laico. Nec obstat *c. Pervenit* 29. *De consecr. Dist.* 2., ubi expres-

se prohibetur committi Laico Eucharistiae ministratio, cum ibi loquatur de tali commissione etiam extra casum necessitatis. Sicut neque obstat contraria consuetudo, cum enim hic casus rarissime accidat, quomodonam haec contraria consuetudo poterit probari? Ita igitur Lig. l. c.; quod et docuerat Habert t. 5. p. 511. qu. 2, ubi dicit, quod, occurrente necessitate, nempe tempore pestis, bene poterit judicio Episcopi etiam laicis permitti Eucharistiam ministrare: Tournelius vero id admiserat in casu, quo infirmus non posset aliud Sacramentum sumere, et dubitaret de perfecta contritione; quia tunc Eucharistia ei esset Sacramentum necessitatis (T. 5. pag. 353.).

141. Quamvis tamen Sacerdos sit ordinarius Eucharistiae minister, neque etiam posset absque jurisdictione illam ministrare, nisi usus jam ubique invaluisset, quod cui conceditur facultas celebrandi, intelligitur etiam concessa facultas Eucharistiam ministrandi, modo illius susceptio non sit de obligatione. Hinc 1.° simplex Sacerdos nequit Communionem Paschalem ministrare; quo caeterum tempore potest praesumere, quod accedens communicaturus praecepto Paschali satisfecerit, vel deinde satisfaciet in propria Parochia, et ex devotione tunc temporis ad Altare accedat. Qua super re refert quidem Ben. XIV. *de Syn. l. 7. c. 4.*, declarasse S. C., non posse Regulares die Paschatis ministrare Eucharistiam ex devotione communicantibus. Subdit tamen Lig. n. 240.: *Sed Ronc., et Wigant constantem asserunt adesse quoad hoc contrariam consuetudinem, quae jurisdictionem praebet.* 2.° neque etiam simplex Sacerdos potest Eucharistiam mi-

nistrare in articulo mortis, modo proprius Pastor non absit, vel praesens nequeat illam deferre; in quo casu quivis alius Sacerdos sive saecularis, sive regularis; atque hoc deficiente, etiam Diaconus, potest, et debet Viaticum ministrare, adhuc sine commissione.

142. Si tamen simplex Sacerdos potest tantum sub allatis exceptionibus Eucharistiam ministrare, Parochus, cui ex officio incumbit oves suas pascere, Sacramentorum praesertim administratione, illam et potest, et tenetur ministrare. Sed an etiam cum mortis periculo peste, vel alio morbo contagioso infectis? Affirmat quidem valde gravis sententia, ut eam Lig. appellat n. 333., Suaresii, Vasquesii, Barbosae, Cont. Tourn., Concinae; aliorumque, praeterquam si alii infirmi essent ob id absque Confessione morituri: vel si mors futura Parochi esset magna populi jactura; ut si ipse solus esset, nec facile alius haberi posset. At valde etiam probabilis sententia, ut eam quoque Lig. appellat, id negat, ex quadam Decl. Greg. XIII. ap. Fagnan., quae approbans hac super re Decretum S. C., ait, *Parochum suis Parochianis peste laborantibus teneri ministrare dumtaxat duo Sacramenta ad salutem necessaria, nempe Baptismum, et Poenitentiam; posse autem ministrare vel per se, vel per alium idoneum, ut Parochus possit audire Confessiones sanorum, qui alias eum reformidarent, si viderent ipsum accedere ad pestilentes.* Qua super re refert idem Fagn., rescripsisse paullo post S. C., quod ipsum Baptismum, et Poenitentiam Parochus tali tempore ministraret *per alios*: eamque fuisse mentem Pontificis, prohibendi scilicet, ne Parochi per seipsos,

etiam volentes, ministrent Baptismum, et Poenitentiam, ad commodum Parochianorum, qui sani essent. Omnino tamen teneri tunc quoque temporis residere, procul dubio est: ut enim refert idem Fagn, *cum Tab.*, *Arm.*, *et Barb. sentirent*, *Parochos excusari tempore pestis a residentia, et quia sani fugerent Parochos, et quia Parochi omnes morerentur*, jussit idem Greg.: *Scribendas literas ad Cardinalem S. Praxedis, quibus significetur, Sanctitatem suam decrevisse, Parochos tempore pestis omnino teneri residere in suis Ecclesiis . . et si non resederint, contra eos procedendum, servata forma Tridentini sess.* 23. *cap.* 1. Utque idem refert, declaravit item laud. Pontifex: *Decretum factum in Parochis multo magis procedere in Episcopis, qui magis obligati sunt; tamen posse Episcopos in locis tutioribus manere, et inde providere.* Revera enim (subdit Lig.), si Episcopus in hujusmodi necessitatibus oves suas deserat, quis alius eis satis providere curabit?

143. Probatione autem non eget, quod tam venerabile Sacramentum quanta maxime fieri potest reverentia ministrandum sit. Ob hanc porro extra casum extremae necessitatis numquam ministrari, vel deferri potest absque superpelliceo, et stola, ac praecedente lumine. Immo citra ipsam ministrationem, si ob graviter culpabilem negligentiam Parochi, vel ejus, cui haec cura commissa fuerit, integro die, vel aliquot integris noctibus lumen ante illud non ardeat, lethalis peccati illum arguunt etiam benigniores Theologi apud Lig. n. 248. In casu tamen extremae necessitatis, in qua aeger nempe moriturus secus esset

absque viatico, etsi non liceat celebrare sine vestibus sacris, vel sine Altari, ut docet Ben. XIV. *de Sacr. Miss. l. 3. c.* 19. *n.* 6., cumque eo et Lig. n. 289., communius tamen, et satis probabiliter ex eod. n. 241., et sequ. licet illud in tali necessitate ministrare absque lumine, et vestibus sacris; rationabiliter enim praesumitur, quod Christus, qui hoc Sacramentum ad animarum subsidium instituit, et Ecclesia, quae tam benigna est Mater, noluerint moribundos tanto bono privari, ne praescriptae coerimoniae omittantur. Ob quam rationem probabile etiam vocat, quod Sacerdos in tali casu absque irreverentia possit per publicum currere: sicut etiam illud deferre in equo mansueto, e quo non adsit periculum labi, si id fiat causa tempestatis, vel distantiae, ac periculum sit in mora: quod postremum concessit etiam D. Car. Borr. *in Act. Mediol.*: nec non quod aegrotis peste infectis licet illud ministrare in cochleari ad id rite confecto, quia necessitas satis videtur ab Ecclesiae solito ritu excusare. Immo et aegroto, qui ob linguae ariditatem non possit particulam trajicere, neque etiam censet improbabile, quod licet illi viaticum praebere, imposita particula cum vino in cochleari; et in die enim Parasceves instituit Ecclesia, ut simul cum vino sumatur particula consecrata in die praecedenti; et in Rubr. Missal. *tit.* 10. *n.* 8. dicitur, quod si particula in Calicem immissa, ipsi haereat, possit vinum infundi, et sumi. Omnino autem docet, quod non licet Eucharistiam deferre ad aegrotum, venerationis tantum causa, ut illam scilicet adoret, vel osculetur, cum sumere non possit, ex Decr. S. C.; ubi etiam

dicitur, quod *si forte aliquo in loco talis est consuetudo, ea prorsus est tollenda.*

144. Ob reverentiam etiam, quam Minister hujus Sacramenti erga illud debet, sedulo observandi sunt ritus ab Ecclesia praescripti in illius administratione, qua super re consulatur, quod diximus n. 32. Hic addimus 1.°, quod licet in Missis Defunctorum, etsi cum paramentis nigris, Eucharistiam ministrare cum particulis in eadem Missa consecratis; quod probatur contra Gav. tum ex Trid. *sess.* 22. c. 6., ubi: *Optaret S. Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes Eucharistiae perceptione communicarent*; ubi cum dicatur *in singulis Missis*, ergo et in Missis Defunctorum: tum ex verbis, quae etiam in Missis Defunctorum dicuntur: *Ut quotquot ex hac Altaris participatione Sacrosanctum Filii tui Corpus, et Sanguinem sumpserimus* ec. Quibus accedunt quae in Missali Defunctorum post communionem celebrantis habentur: *Si qui sunt communicandi, eos communicet, antequam se purificet*: quae verba, refert Merati, illic inserta fuisse tempore Urbani VIII. Decretum autem S. C. Rit. sub die 22. Jan. 1701., quo vetitum fuit Eucharistiam ministrare in Missis Defunctorum, cuique innititur Gav., ab eadem Rit. Cong., ut refert idem Merati, suspensum fuit die 22. Martii 1711. In iis tamen cum paramentis nigris Eucharistiam ministrare cum particulis praeconsecratis non licet ex Decr. S. R. C. *in Aquensi* 1741., ubi: *In Missis Defunctorum, quae cum paramentis nigris celebrantur, non ministretur Eucharistia per modum Sacramenti, scilicet cum particulis praeconsecratis, extrahendo Pyxidem a cu-*

stodia. De cujus Decr. authenticitate, etsi olim ab aliquibus dubitatum fuerit, nullatenus modo potest de ea dubitari; cum legatur in novissima Decretorum S. C. collectione, cui titulus: *Decreta authentica C. S. R. ex Actis ejusdem S. C. collecta, edita sub auspiciis Em. De Somalia eidem S. C. Praefecti* (tom. 4. pag. 304.) Diximus *cum paramentis nigris*; cum enim concessum fuerit a S. R. C. die 21. Jun. 1670., quod Missae Defunctorum celebrari possint cum paramentis violaceis, ubi idcirco cum his celebrentur, licet in iis, aeque ac in aliis Missis, Eucharistiam ministrare. 2.° Quod in Missis vivorum, etsi ex justa causa liceat Eucharistiam ministrare ante, vel post illas, rectius tamen est juxta Rit. Rom., Communionem populi in iis fieri statim post Sacerdotis sumptionem: qua super re videri etiam potest Ben. XIV. *De Sacr. Miss.* l. 3. c. 18. Dum vero ministretur extra Missam, utendum est juxta idem Rit. stola coloris officio illius dici convenientis, vel saltem coloris albi, ut cum pluribus DD. censet Merati; utque etiam D. Carolus Borrom. in Synodo Provinc. I. p. 1. adprobavit. 3.° Quod, ut docet Lig. n. 244., non licet Eucharistiam ministrare ob chiragram, vel aliud, nisi tantum in casu extremae, vel gravissimae necessitatis, aliis digitis, quam pollice, et indice; quia etsi tota Sacerdotis manus consecretur, index tamen, et pollex ex ritu Ecclesiae ad hoc ministerium deputantur, propter quod soli inunguntur. Hinc etiam docet, quod habens pollicem, vel indicem ita infirmum, ut non possit cum iis hostiam frangere, nec etiam potest celebrare: quod confirmatur ex c. *ult. de corp. vitiat.*,

ubi dicitur, tum tantum alicui permittendum Sacerdotio initiari, cum habet pollicem aptum ad frangendam hostiam. Estque demum habenda, ut regula generalis, quod impedimentum ad suscipiendum Ordinem est quoque impedimentum post Ordinis susceptionem ad illum exercendum. 4.° quod nec etiam licet, praeterquam per modum viatici, Eucharistiam ministrare nec ante auroram, idque nec etiam in Missa Nativitatis Domini, quae dicitur post mediam noctem, ex Decr. S. R. C. die 7. Dec. 1641., et 2. Apr. 1604.; nec sub vesperis, hora nempe, quae subsequitur horam mediam inter meridiem, et solis occasum, ex hodierna Ecclesiae consuetudine; nec demum in feria 6. Parasceves, ex Decr. ejusdem S. C. die 19 Febr. 1622., et ex Rubrica Missalis Feriae V. majoris hebdomadae, ubi dicitur, quod *asserventur quaedam particulae pro infirmis*, quibus verbis sanos excludi, perspicuum est. In die autem Sabbati Sancti nullum adest, ut Lig. docet n. 252., Decretum Communionem prohibens; sique in Missa omittitur antiphona, quae dicitur *Communio*, et subsequens oratio, quae *Postcommunio* appellatur, ideo est, quia earum loco suffectae sunt Vesperae. Non habemus igitur, ut ipse Lig. concludit, ubi vetita sit Communio in tali die; quare in pluribus Regni, et Urbis Neapolis Ecclesiis, ac praesertim in ejus Cathedrali Communio post Missam solemnem populo ministratur: 5.° quod, juxta Rubricam Missalis tit. 7. n. 2., *si deprehendat Sacerdos post sumptionem Corporis, et Sanguinis, aut etiam post ablutionem, reliquias aliquas relictas consecratas, eas sumat, sive eae parvae sint, sive magnae, quia*

ad idem Sacrificium spectant. Idque, ut prae aliis docet Ben. XIV. *de Sacrif. Miss. l.* 3. *c.* 17. *n.* 5., *et* 6.; etiamsi Sacerdos Sacristiam petierit, modo adhuc sacris vestibus indutus sit, quia illarum sumptio pertinet ad perfectionem Sacrificii. Quod si sacris vestibus se exuerit, subdit idem Ben.; vel reponendae sunt in Tabernaculo, si adsit, vel reservandae alteri Sacerdoti, qui eodem mane sit celebraturus: et si neutrum fieri possit, sumendae sunt ab eodem, qui celebravit. Fragmenta vero, quae remanserint in patena, vel calice post Communionem infirmi, potest Sacerdos dare eidem infirmo statim post particulam illi traditam, tum quia censentur moraliter una Communio, tum quia ita fert usus, quod nempe post Communionem infirmi abluatur pyxis, et ablutio ipsi tradatur. 6.° Quod si hostia in terram decidat, primo tegendus est locus panno lineo mundo, et postea abluendus, ut Rubricae praecipiunt. Advertit tamen Lig. n. 250.; ordinarie omitti posse ablutionem vestis, aut barbae, ad evitandam populi turbationem. Sicut etiam, quod si hostia decidat super ubera mulieris, non ipse Sacerdos, sed mulier manu sua formulam abstrahat, et reponat in pyxide: quodque docet Stampò, nedum in casu praedicto, sed in casu etiam, quod ministrando Momalibus Communionem, hostia intra Clausuram decidat. Locus vero, ubi forte decidant species vini, semper debet ablui, cum ipsis locus imbibatur: quas tamen deinde comburere opus non est, ex Lig. l. c.

145. Quia demum huc spectat sermo de frequenti, ac quotidiana Communione, breviter dicimus 1.°, nulli

permittendam esse nec quotidie, nec frequenter ob id solum, quod sit in gratia; licet enim D. Aug. dixerit: *Accipe quotidie, ut quotidie tibi prosit*; subdit tamen: *Sic vive, ut quotidie merearis accipere.* Hinc D. Th. ait 3. p. q. 80. a. 10. *Non est omnibus utile quotidie ad Sacramentum accedere, quia in omnibus non adest reverentia, et devotio erga tantum Sacramentum*; ob reverentiam nempe tam venerabili Sacramento debitam, ac devotionem, quam ejus sumptio requirit. Utque practice docet Ben. XIV. *l.* 7. *de Syn. c.* 12., §. 9., cavere debent Confessarii, *ne frequentem ad Eucharistiam accessum suadeant, aut permittant iis, qui etsi gravia evitent crimina, voluntatem tamen habent venialibus inhaerentem.* 2.° prae oculis habendum Decr. S. C. editum anno 1679., et adprobatum ab Innoc. XI., quod frequens Communionis usus, immo quotidianus fuit semper ab Ecclesia, et ab omnibus PP. adprobatus: et Catech. Rom. explicans Trid. verba sess. 22. c. 6.: *Optaret S. Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes Eucharistiae perceptione communicarent*, docet, esse Officium Parochi, sedulo fideles hortare ad Communionem non modo frequentem, sed etiam quotidianam, propterea quod sicut Corpus, ita et Anima eget quotidiano alimento. Qua super re injunctum quoque fuit in III. Syn. Mediol. sub D. Carolo Borrom. habita, ut omnes Parochi monerent fideles ad hanc Communionis frequentiam; impositumque Episcopis Provinciae, ut prohiberent concionari, ac severe punirent quotquot disseminassent oppositum, tamquam scandalorum satores, et totius Ecclesiae sensui contradicentes.

3.° quod ut frequens Communionis usus alicui concedatur, necesse est ex verbis supra relatis Ben. XIV., quod non solum a peccatis lethalibus longe vivat, sed ab ipsis peccatis venialibus deliberatis caveat. Ut quotidie autem quis accedat ad Communionem, requiritur praeterea ex Lig. in Praxi Conf. n. 152., ut per assiduitatem orationis studeat quotidie in via perfectionis progredi, ac Deo semper intimius uniri. Generatim vero docet D. Franciscus Salesius, quod qui, sublato affectu etiam ad venialia, et superata majori pravarum suarum inclinationum parte, magnum communicandi desiderium habent, recte hi possunt, praevio sui Directoris consilio, quotidie communicare (*Introd. alla vita div. c. 20.*). Et D. Th. docuerat, quod *si aliquis experientia cognoverit, ex quotidiana Communione augeri amoris fervorem, et non minui reverentiam, talis deberet quotidie communicare* (*4 Sent. Dist. 12.*).

CAPUT V.

De subjecto Eucharistiae. Et 1.° de dispositione, quae in eo requiritur ex parte animae.

146. Fidem consequendi per Corpus Christi remissionem peccatorum solam praeparationem necessariam esse ad suscipiendam Eucharistiam homini gravium peccatorum conscio, docuit Lutherus, ac subinde Calvinus: ideoque peccatores conscientiam lethalis peccati habentes libere posse ad illam accedere, immo pro his institutam fuisse; abutentes hac super re il-

lis Christi verbis Matth. 9. *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro Mundi vita*; non enim (ajebant) datur vita jam viventibus, sed mortuis. Hinc, pergebat Calvinus, *has epulas non prodesse justis* (*l. 4. Inst. c. 17.*). Et Lutherus *l. de praepar. ad Euch.* adeo debacchatur, ut dicat: *Optima dispositio, si pessime sis dispositus.* Subjungens, dicendos esse Pharisaeorum sectatores, qui a sacra mensa peccatores arcent; illi enim erant, qui indigne ferebant, quod Dominus manducaret cum publicanis, et peccatoribus, ac se tangi sineret a muliere peccatrice.

147. Contra eorum tamen impietatem docet fides, dispositionem prae caeteris necessariam ex parte animae ad Eucharistiam suscipiendam esse plenam animae purgationem, ac munditiem per lotionem pedum significatam, quam Christus discipulis praemissit, antequam ad convivium Eucharisticum illos admitteret. Quod item probatur 1.° ex severissima punitione illius, qui sine veste nuptiali ad regium convivium accedere praesumpserat (Matth. 22.): convivio enim illo Eucharisticam mensam Christum significasse, communis est SS. PP., ac DD. sententia. 2.° ex Ap. 1. *ad Cor.* 11., ubi: *Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat*: quibus verbis Apostolum a communicantibus exigere immunitatem ab omni labe saltem mortalis peccati, et quidem quantacumque fieri potest diligentia, ac securitate adquisitam, concors quoque est SS. PP., ac DD. sententia. 3.° ex eo quod hoc Sacramentum est spiritualis animae cibus. Cibus autem non ordinatur ad mortuos, sed ad viventes; ac vitam conferre dicitur, non quia eam non

supponit, sed quia vegetat, roborat, ac conservat viventem.

148. Consequenter autem ad relata Ap. verba, diximus jam ex Trid. n. 33., quod *nemo peccati mortalis conscius, quantumvis sibi contritus videatur, absque praemissa Sacramentali confessione ad Sacram Eucharistiam accedere debet*; idque nedum ex praecepto Ecclesiae, sed ex praecepto Divino. Haec igitur potissima animae dispositio, status scilicet gratiae, et quidem si habeatur mortalis peccati conscientia, nedum per contritionem, sed per confessionem quoque Sacramentalem acquisitus. Excipitur tantum, si Confessarius desit, et ratione scandali, etc., urgeat celebrandi, vel communicandi necessitas; quae ambo concurrere debent ad excusandum a confessione: qua super re multa tamen sunt declaranda. Et 1.°, quod deesse dicitur Confessarius, cum nec ullus sit praesens, nec absens adiri possit absque gravi incommodo, spectata tum debilitate, aetate, ac negotiis personae, tum aliis circumstantiis, ut aeris, brevitatis temporis, etc.; non vero, si absit is, qui aliquis solet, et cuperet confiteri; vel cui devotius, aut utilius confiteretur; ac neque etiam si Religiosus non posset Sacerdoti saeculari confiteri, nisi cum aliqua Religionis infamia. 2.°, quod scandalum, recedendo ab Altari, tunc praeberi dicitur, cum datur occasio detrahendi, vel temere judicandi, non vero cum datur solum admirationis occasio, ut advertit Lig. n. 257. 3.° quod si agatur de Parocho, in hoc casu, si nec adsit alius, qui celebret, et nequeat Parochus non celebrare, ut populus Sacrum audiat, absque infamia,

potest quidem, deficiente Confessarii copia, cum sola contritione ad Altare accedere, quia id debet ex officio; non vero non Parochus, ex eod. Lig. n. 261., quia id non debet ex officio, nec populus Sacrum tunc non audiendo, ullatenus peccaret: sicut nec etiam, eo quod urgeat praeceptum de annua Communione, vel ipse Sacerdos nequeat Missam audire, nisi celebret; et in hisce casibus namque, cessante scandalo, et infamia, praestat Sacrum, et Communionem etiam Paschalem intermittere, quam ad Altare absque confessionis probatione accedere, quia praecepto Ecclesiastico praeferendum est praeceptum Divinum se tunc probandi, ex dictis n. 30., per Sacramentalem Confessionem. 4.° quod si Sacerdos inter celebrandum recordatur peccati mortalis, illiusque recordatur post consecrationem, Missa non est interrumpenda, ut et docet D. Th. 3. *p. q.* 83. *a* 6. *ad* 2; et expressum habetur in Rubr. *de Defect. tit.* 8. *n.* 4.; satisque erit, quod conteratur. Si vero illius recordetur ante consecrationem, debet confiteri, si possit; et casu, quo confiteri nequeat, probabilius ex Lig. n. 262. tenetur Missam deserere, modo id possit absque infamia; quod probatur tum ex D. Th. 3. *p. q.* 83. *a* 6. *ad* 2., tum ex sequentibus Rubr. verbis: *Si ante consecrationem recordetur Sacerdos, se esse in peccato mortali, aut se esse excommunicatum, vel suspensum, aut locum esse interdictum, si non timetur scandalum, debet Missam incoeptam deserere (3. p. tit.* 8. *n.* 4. *et* 5.). Subdit caeterum idem Ligorium Tour., aliisque, quod eo casu vix nota infamia vitari poterit.

149. Cum tamen *necessitate urgente*, *Sacerdos absque praevia confessione celebraverit*, *quam primum confiteatur*. Ita Trid. *sess.* 13. c. 7. Per hanc autem particulam *quamprimum*, proscripsit Alex. VII. prop., quae ajebat, intelligi, *cum Sacerdos suo tempore confitebitur*: declaravit tamen S. C., satis esse, quod confiteatur intra triduum. Quod et probatur tum ex c. *Eos*, *qui sent. excom in* 6., ubi praecipitur, ut ii, qui in articulo mortis absolvuntur ab excomm. reservata, teneantur se praesentare ad Superiorem *quam cito commode poterunt*; sub poena reincidentiae in eamdem censuram; nec tamen judicantur reincidere, si intra triduum se praesentant: tum quia cum hoc praeceptum sit tantum Ecclesiasticum, recte censetur, quod Ecclesia ad illud cum tanto rigore non obliget, sed illud *quamprimum* moraliter intelligendum sit, prout intelligitur in aliis legibus humanis, nempe *in l. fin. de Jud.*, *et l. fin. c. de Err. Advoc.*, ubi verbum *statim*, *quamprimum*, *continuo*, aut simile, ut interpretantur Bald., Felin, etc., bene extenditur ad spatium trium dierum. Per accidens tamen posset Sacerdos aliquando teneri, ut eadem hora confiteatur, puta si tunc Confessarium haberet, quo postea per plures dies careret; vel si die crastina eadem urgeret celebrandi necessitas, nec posset confiteri.

150. Porro ex eodem principio, quod relatum praeceptum est Ecclesiasticum, sequitur 1.°, quod cum illud sit ordinatum ad metum iis Sacerdotibus incutiendum, qui necessitatis praetextu Confessionem differunt, et interim cum lethalis peccati conscientia ad Altare accedunt absque confessionis probatione cum

solo contritionis actu, non vero sacrilege celebrantibus, quibus praeceptum hujusmodi valde raro esset profuturum; qui enim contempto praecepto Divino, audent in peccato scienter celebrare, facilius Ecclesiasticum contemnent praeceptum: hinc Sacerdos habens copiam Confessarii, et nihilominus vel citra necessitatem, vel in necessitate sacrilege celebrans, non tenetur ad confitendum *quamprimum*, ut cum Suaresio, Lugone, aliisque verius censet Lig. n. 266.: idque eo magis, quia in praeceptis positivis non valet argumentum a minori ad majus, quando minus in majori non continetur, prout est in nostro casu, in quo praecepta sunt disparata. Non habens vero ante celebrationem Confessarii copiam, et sacrilege celebrans ob necessitatem, quia omissa contritione, utique teneretur ad confitendum *quamprimum*, quia praeceptum Tridentini minime distinguit inter Sacerdotem habentem, vel non habentem contritionem, sed loquitur de quocumque Sacerdote ex necessitate celebrante cum lethalis peccati conscientia. Quod et videretur dicendum de eo, qui post consecrationem recordetur peccati lethalis, nulla praemissa confessione, quia etiam celebraret conscius peccati in necessitate, et absque Confessione. Sed probabiliter id negat Lig. n. 267.: quia in Rubr. *tit.* 8. *n.* 3. dicitur, quod Sacerdos, qui ante Missam recordatur peccati, et celebrat ex necessitate, non habens copiam Confessari, tenetur postea confiteri *cum primum etc.*: sed de eo, qui recordatur alicujus peccati post consecrationem, dicit n. 4: *Conteratur cum proposito confitendi*, absque eo quod adjungatur *cum primum etc.* 2.° sequitur, quod Laicus

communicans ex necessitate cum sola contritione ob defectum Confessarii, satis probabiliter ex Lig. n. 268 non tenetur ad confitendum *quamprimum*, quia praeceptum Tridentini loquitur tantum de Sacerdotibus, quibus saepius posset necessitas occurrere accedendi ad Altare cum lethalis peccati conscientia absque Confessarii copia, ideoque facilius hujus necessitatis praetextu, praetermissa Confessione, celebrarent. Quod et confirmatur ex D. Th., loquens enim S. D. de eo, cui deest copia Confessarii, et necessitas urget communicandi, requirit, quod conteratur, habeatque propositum confitendi, et satisfaciendi, nihil superaddens de obligatione *quamprimum* confitendi. Quod et proinde dicendum de Sacerdote, qui in necessitate sine Confessione more laicorum communicaret: secus tamen si vel complere deberet Sacrificium ab alio incoeptum; vel functiones sacras perageret in die Parasceves, quia etsi tunc non diceret proprie Missam, diceretur tamen simpliciter celebrare, ut Rubr. loquitur de illo die.

151. An autem habens quidem Confessarii copiam, sed non habentis facultatem in casus reservatos, quibus irretiatur, teneatur quoque urgente necessitate celebrandi, vel communicandi apud illum confiteri? Negat prae aliis Cont. Tourn., dicens, posse ad Communionem accedere absque Confessione, et praemissa tantum contritione: cum enim Confessio hujusmodi fieret apud Confessarium, qui omni caret potestate super poenitente ob casus reservatos, quibus irretitur, hinc tamquam facta Judici non competenti, esset invalida: utque impertiri nequit absolutio unius peccati absque alio, ita nec dividi potest Confessio. Affirmat

tamen sententia probabilior, et communissima, quam sequitur Lig. n. 265.: quia cum urgeat praeceptum Divinum praemittendi Confessionem Communioni, debet fieri Confessio saltem formaliter integra, si fieri nequeat integra materialiter. Ex eo autem, quod Confessarius nullam in casus reservatos jurisdictionem habeat, sequitur tantum, quod per se non teneatur ad Confessionem reservatorum: sique ad horum quoque Confessionem tenetur, id oritur ex eo, quod Confessarius debet perfecte agnoscere poenitentis statum, ut debitum formet judicium, an sit capax, necne absolutionis, quia forte in reservatis recidivus, vel quia prava consuetudine implicatus, vel quia in proxima, ac voluntaria peccandi occasione, quam prius debeat deserere, ec.: quae ubi desint, bene poterit Confessarius ex infra dicendis eum absolvere *directe* a non reservatis, *indirecte* a reservatis.

152. Quid vero dicendum, si peccatum, nedum reservatum sit, sed adnexam quoque habeat excommunicationem, urgeatque celebrandi, vel communicandi necessitas? Potestne, ac tenetur in tali necessitate constitutus probationem Confessionis Eucharistiae praemittere? Ad quod idem Lig. l. c. affirmative respondet: praeceptum namque Ecclesiae prohibens excommunicato Sacramenta suscipere, non obligat, concurrente praecepto naturali vitandi infamiam, vel aliud simile grave malum, vel saltem non obligat cum tanto incommodo. Ideo autem excommunicatus invalide reciperet Sacramentum Poenit., quia, stante praefata Ecclesiae prohibitione, accederet indispositus: Hac ergo ob urgentem necessitatem cessante, modo vere poeni-

tens, et valide, et licite illud suscipere, dicendum est. Cumque urgeat praeceptum Divinum praemittendae Confessionis ad Communionem, potest proinde, ac tenetur in tali necessitate constitutus per Confessionem se probare, antequam communicet.

153. Huc demum quaestio pertinet, an si quis post Confessionem recordetur alicujus peccati lethalis inculpabiliter omissi, teneatur ante Communionem illud confiteri, tametsi per dolorem universalem fuerit illi indirecte remissum? Ad quod etiam cum Lig. n. 257., praeeunte prae aliis Cont. Tourn., respondetur, valde probabile, et omnino rationi consentaneum esse, quod non teneatur: tum quia qui Confessionem Communioni praemisit, jam implevit Confessionis praeceptum, vi cujus peccatum oblitum jam illi fuit indirecte remissum, et probatus existit: tum quia jubet quidem Trid., quod lethalis peccatis conscius non communicet, nisi praemissa Confessione, *quantumvis sibi contritus videatur*, idest accedat ad Communionem justificatus non per solam contritionem, sed etiam per Confessionem; minime tamen constat ex Trid., adesse praeceptum, quod denuo ante Communionem confiteatur. Praxis autem fidelium, quae opponitur, non est habenda, ut regula certa obligationis, sed potius ut pius, et laudabilis usus, et quidem maxime, praecisis circumstantiis, suadendus. Excipiendi tamen sunt scrupulosi, quibus potius imponendum est, ut omnino communicent, ne inani anxietate, qua laborare solent, torqueantur. Sicut etiam excipiendum est, si peccatum omissum adnexam habeat censuram excommunicationis, vel interdicti, a qua non-

dum absolutus arcetur ab Eucharistiae perceptione: vel etiam suspensionis, a qua celebraturus debet prius absolvi.

Caput VI.

De dispositione, quae in subjecto Eucharistiae requiritur ex parte corporis.

154. Cum luxuriae actibus, sive voluntariis, sive etiam involuntariis corpus maculetur, mundities proinde ab hujusmodi actibus id est, quod potissimum requiritur ex parte corporis ad dignam Eucharistiae perceptionem. Et 1.° loquendo de pollutionibus, si pollutio fuerit voluntaria, communiter DD. inquiunt, quod etsi ejus et contritio, et confessio praecesserit, tenetur nihilominus hujusmodi poenitens sub veniali abstinere ea die a Communione ob reverentiam tam Venerabili Sacramento debitam. Ita prae aliis Lig. n. 272.: et praeiverat D. Th. *in 4. D. 6. q. 1. a. 4. ad 2.*, ubi: „*Non esse consulendum alicui, quod statim post peccatum mortale etiam contritus, et confessus ad Eucharistiam accederet, sed deberet, nisi magna necessitas urgeret, per aliquod tempus propter reverentiam abstinere.* Et prius etiam D. Greg. *C. Testamentum 1. Dist.* 6., ubi S. D. scribens ad Aug. Anglorum Episcopum, et loquens de tali poenitente, eum, ait, *a sacro mysterio ea die abstinere oportet.* Excipitur tamen, si vel scandalum vitandum, vel aliud rationabile motivum Communionem exigat, prout prudenti Confessario videatur, utque etiam dicitur in Rubr. Miss. *De defect. n. 9.*

155. Si vero pollutio fuerit involuntaria, quidquid alii dicant, communius, et rectius Lig. n. 272. existimat, quod si nullam perturbationem reliquerit, minime a Communione arcet; idque (subdit), etiamsi provenerit a causa venialiter culpabili, in quo casu esset tantum consilii a Communione abstinere. Quod probatur 1.° ex D. Greg. *l. c.*, ubi S. D. ait, quod si pollutio provenerit ex superfluitate cibi, vel potus, haec *a perceptione Sacri Mysterii prohibere non debet*, *sed* (qui eam passus fuerit) *abstinere*, *ut arbitror*, *humiliter debet*. Ubi Glossa, verbum *humiliter* explicans, *ergo* (ait) *est consilium*; *bene enim potest celebrare*, *si vult*. Ac 2.° ex Rubr. Miss. *De Defect. n.* 9, , ubi: *Si dubium sit*, *an in praecedenti cogitatione fuerit peccatum mortale*, *consulitur abstinendum*, *extra tamen casum necessitatis. Si autem certum est*, *non fuisse in illa cogitatione peccatum mortale*, *vel nullam fuisse cogitationem*; *sed evenisse ex naturali*, *aut ex diabolica illusione*; *potest communicare*, *et celebrare*, *nisi ex illa corporis commotione tanta evenerit perturbatio mentis*, *ut abstinendum videatur*. Immo etsi pollutio involuntaria perturbationem reliquerit, neque etiam Communionem impedit, si homo conetur eam repellere, faciens, quantum in se est, ut devote accedat; ut enim ait D. Justinus: *Non est aequum propter hanc involuntariam passionem abstinere a Mysteriis*. Id multo magis intelligendum est de iis, qui ex aliquo morbo sunt assidue seminiflui; aut ob proprii muneris exercitium hujusmodi perturbationem inviti patiuntur; aut, quamvis pie viventes, ex perspecta Diaboli operatione tunc polluuntur,

quum ad Eucharistiam sequenti die percipiendam se praeparant, quod et D. Th. advertit.

156. Major autem quaestio agitatur de actu conjugali, an scilicet Communionem impediat? Ad quod nequit congruentius responderi, quam cum D. Greg. *l. c.*, ubi: *Si quis sua conjuge, non cupiditate voluptatis, sed solummodo creandorum filiorum gratia utitur, profecto de sumendo Dominici Corporis, Sanguinisque mysterio suo est judicio relinquendus, quia per nos prohiberi non debet qui in igne positus nescit ardere. Si vero non amor procreandae sobolis, sed voluptas dominatur in opere, tunc prohiberi debet, ne accedat ad hoc Sacramentum.* Quod et habet Nicolaus I. in responsione ad consulta Bulgarorum; et D. Th. *qu. 80. a. 7. ad 2.* Hinc dicendum, quod accedere ad Communionem eadem die, qua habita est **copula voluptatis causa, excusari nequit ab aliqua indecentia**, ideoque nec a veniali, nisi excuset aliqua causa honesta, puta solemnitas occurrens, scandalum vitandum, periculum notae, indulgentia lucranda, specialis devotio, ec. Si vero copula habita fuerit causa vel generandae prolis, vel vitandae incontinentiae, vel redditionis debiti, in hoc casu, licet congruum sit abstinere illa die a Communione, ut D. Th. docet l. c., id tamen est tantum consilii sine obligatione, quia finis tum generandae prolis, tum vitandae incontinentiae, tum redditionis debiti cum sit omnino honestus, et a Deo volitus, satis reparat illam indecentiam, quae adest in communicando post copulam. Praecise autem de redditione debiti addendum est, quod cum sit actus justitiae, non est, cur hominem

a Communione impediat, ut Lig. disserit n. 274. Utque scripsit D. Franciscus Salesius, indecenter quidem ad Communionem accedit conjux, qui debitum exegerit, non vero qui illud reddiderit; eo fere modo, quo in veteri lege vetabatur quidem, ne diebus festis debita exigerentur, non vero ut solverentur (*Introduct. ec. part. 2. cap. 20.*). Et D. Aug. in Ps. 149.: *Si non exigis, redde. Pro sanctificatione perfecta Deus tibi computabit; si non quod tibi debetur, exigis, sed reddis quod debetur uxori.* Nec obstat C. *Sciatis Caus.* 33. *qu.* 4., ubi D. Hieronym. ait: *Quicumque uxori debitum reddit, nec de carnibus Agni comedere debet.* Resp. namque D. Th. *in* 4. *dist.* 32. *qu.* 1., ibi sermonem fieri dumtaxat de Ecclesiae Ministris conjugatis, quales sunt Graeci, quibus interdicitur celebrare die, qua accedunt ad uxores. Quibus positis, advertendum sedulo cum eod. Lig. *l. c.*, quod conjux ratione Eucharistiae suscipiendae minime eximitur ab obligatione reddendi debitum; ac tantum poterit modestis, non tamen importunis precibus conjugem rogare, ut illa vice abstineat in honorem Communionis, si non communicet frequenter, sed v. gr. in praecipuis festivitatibus, et modo non incurrat in illius indignationem; si vero frequenter, ut v. gr. in omnibus festis, nec etiam expedit illum rogare, ut abstineat, ne periculo exponatur peccandi contra justitiam, vel charitatem. Ex eo autem, quod diximus, consequens quoque est, nullam esse culpam, debitum reddere ipsa die, qua conjux communicavit. Illud vero petere, ait Lig., quod D. Antoninus censet esse veniale; sed Nav., Sanch., aliique censent, quod

abstinere illa die a petendo est tantum consilium, non obligationis.

157. An demum mulieres tempore menstrui possint communicare, communius, et probabilius vocat Lig. n. 275., quod possint; loquens enim D. Greg. in cit. ep. de muliere menstruata, sic scripsit: *Si ex veneratione magna percipere non praesumit, laudanda est; sed si percipiat, non judicanda.*

158. Ad susceptionem item Eucharistiae requiritur ex parte corporis jejunium naturale, ut nempe a media nocte nihil omnino sumptum fuerit per modum cibi, potus, aut medicinae: quod licet non sit de jure Divino, sed tantum Ecclesiastico, illud tamen Ecclesiam ab Apostolorum tempore servasse, nec materiae parvitatem admittere, commune est apud DD. *Ab Apostolorum tempore*; ex regula enim D. Aug.; *quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi Apostolica auctoritate traditum rectissime creditur.* Semper autem retentum est hoc jejunium, absque eo quod ejus initium alicui Concilio assignari possit; ejus namque meminit Tertull. *l. 2. ad uxor c. 5.*; Cyprianus *ep. ad Caecilium*, ec. Quod vero *materiae parvitatem non admittat*, habetur 1.° ex Rubr. Missal. p. 3. tit. 9. : 2.° ex eo quod cum praeceptum non sit, hominem accedere ad Eucharistiam jejunum, sed ad illam non accedere post cibum, vel potum, hinc qui, sumpta cibi, vel potus materia quantumvis parva, accedit, praeceptum transgreditur. Tria tamen requiruntur ad fractionem hujus jejunii: 1.°, ut quod sumitur, sumatur ab extrinseco. 2.°, ut sumatur per modum come-

stionis, aut potationis. 3.°, ut res sumpta habeat rationem cibi, aut potus.

159. Hinc sequitur 1.°, reliquias ciborum inter dentes haerentes jejunium ad Eucharistiam requisitum certo non solvere, si casu; et probabiliter ex Lig. n. 279., neque etiam si ex proposito deglutiantur: tum quia cum non recipiantur ab extrinseco, moraliter reputantur partes comestionis praecedentis diei; unde quamvis ex industria deglutiantur, moraliter non constituunt novam comestionem, sed praeteritam perficiunt: tum quia hujusmodi reliquiae non sumuntur per modum cibi, sed per modum salivae. Idque confirmari videtur ex Rubrica Miss. *de Defectib. n.* 3., ubi, nulla facta distinctione, si casu, vel ex proposito deglutiantur, sic dicitur: *Si reliquiae cibi remanentes in ore transglutiantur, non impediunt Communionem, cum non transglutiantur per modum cibi, sed per modum salivae.* Cum tamen adversetur D. Th., si ex proposito deglutiantur 3. *p. q.* 80. *a.* 8. *ad* 4.; nec non Cabass., Vasqu., Sylv., Cont. Tour., ec., quia hujusmodi reliquiarum trajectio, cum ex industria fit, videtur nova comestio: hinc, duce Ben. XIV. *de Sacr. Miss. l.* 3. *c.* 17., docet Lig. *l. c.*, quod reliquiae a dentibus divulsae, quae sensibiliter in lingua percipiuntur, equidem sunt expuendae; non tamen adest obligatio adhibendi diligentiam ad reliquias illas e dentibus extrahendas, tametsi praevideantur deglutiendae, nisi extrahantur, esset namque id innumeris scrupulis, et perplexitatibus obnoxium, ad quod certe non praesumitur Ecclesia voluisse obligare.

160. Sequitur 2.°, guttulas aquae, quae abluendo

os, vel degustando jusculum simul cum saliva deglutiantur, jejunium similiter, de quo loquimur, certo non solvere, si casu trajiciantur, nec sint in magna quantitate; illud tamen solvere, si ex proposito, ut omnino affirmandum cum sententia communi, idem Lig. docet *l. c.*, probatque tum ex D. Th. l. c., ubi, postquam ait S. D., reliquias cibi jejunium non frangere, si casualiter transglutiantur, subdit, *eamdem rationem esse de reliquiis aquae, quibus os abluitur, dummodo non trajiciantur in magna quantitate, sed permixtae salivae, quod vitari non potest*: tum ex Rubr. l. c., ubi: *Idem dicendum* (scilicet non frangi jejunium), *si lavando os, deglutiatur stilla aquae praeter intentionem*. Si igitur ex intentione, frangitur. Latam autem disparitatem adesse inter hujusmodi guttulas, et ciborum reliquias inter dentes haerentes, perspicuum est.

161. Sequitur 3.°, quod si quis ad cubile pergens, saccharum in os immittat, et de eo post mediam noctem aliquid in stomachum trajiciat, jejunium solvit, cum id dici nequeat pertinere ad comestionem diei praecedentis, sed sit continuata comestio: quodque idem dicendum est de eo, qui sugeret sanguinem ex digito, vel lacrymas ex oculis manantes, et de eo, qui lapsus in flumen, aliquid aquae, etsi involuntarie, deglutiverit. Oppositum vero dicendum, idque ex communi, ut ibid. scribit Lig., de eo, qui deglutiverit sanguinem defluentem e capite, vel gingivis, aut saniem ex pustula oris manantem, etiamsi ex industria, quia quidquid ab intrinseco provenit, non vere comeditur, nec solvit jejunium.

162. Sequitur 4.°, quod pulvis tabaci sumptus per

nares, jejunium non solvit, etiamsi aliquid in stomachum transmittatur, quia non sumitur per modum comestionis, sed attractionis; cui accedit universalis consuetudo, qua ubique permittitur tabaci usus ante Missam, ut advertit Ben. XIV. *l.* 7. *de Syn. c.* 6.; ubi etiam refert ablatam fuisse a Ben. XIII. prohibitionem factam ab Innoc. X., et XII., ne quis sub poena excommunicationis sumpsisset tabacum per nares in Vaticano, quod et praescripsit Urbanus VIII. in Ecclesiis Dioecesis Hispalensis: ac *hodie* (ut concludit) *a communi consuetudine adeo est cohonestatus* (in ipsis Ecclesiis tabaci usus), *ut nulli scandalum praebeat.* Idem autem, subdit Lig. n. 280, dicendum de aqua trajecta per nares, quod dictum est de tabaco. Excipitur tamen, si quis ex proposito tabacum, vel aquam per nares in stomachum trajiceret, quia tunc id non sumeret per simplicem attractionem, sed per voluntatem directam trajiciendi, quod nullatenus videtur ab Ecclesia permissum. Nec, ut pergit, dicatur, quod actio attractiva non est nec manducativa, nec potativa. Licet enim non sit ordinata ad trajiciendum in stomachum cibum, vel potum, ad id tamen ordinatur ab ipso attrahente, a qua intentione induit moraliter rationem comestionis, vel potationis, cum interveniat debita materia, et actio apta ad finem trajectionis in stomachum. Hinc progreditur, idem quoque dicendum de eo, qui pulverem, aut pluviam, floccum nivis, culicem, vel muscam deglutiret: quod nempe si hoc casu accidat per respirationem simul cum aere, utique ex communi non solveret jejunium, utpote non comestio, sed respiratio; quam Ecclesia

noluit prohibere; quis enim posset effugere, ne aliquid pulveris cum vento deglutiat? Si vero ex proposito, jejunium solveret, utpote non mera respiratio, sed voluntaria deglutitio. Solvitne tamen jejunium qui folium tabaci, vel aroma dentibus conterit, ut expuat phlegmata? Affirmant quidem non pauci, quia semper trajicitur aliquid in stomachum, propter quod phlegmata ejiciuntur. Probabile tamen censet Lig. *l. c.*, quod non; non enim (ait) requiritur ad phlegmata ejicienda, ut succus in stomachum descendat, sed sufficit tabacum ad os applicare, ut virtutem expuendi ad stomachum immittat per nervos, qui ad stomachum respondent. Idque (subdit), etiamsi praeter intentionem deglutiatur aliquid modicum succi salivae inseparabiliter admixti; cum enim casu deglutitur, non per modum cibi, sed per modum salivae trajicitur. Omnes tamen conveniunt (ut idem concludit), indecentem esse ante Communionem hujusmodi masticationem, ideoque non excusari a culpa veniali, nisi aliqua causa subsit. Certum demum esse, ex dictis colligitur, quod fumus tabaci, aut similis non solvit jejunium; estque commune apud DD., ut testatur quoque Ben. XIV. *de Sacr. Miss. l.* 3. *c.* 17., quia fumus tabaci nec cibus est, nec potus, nec sumitur per comestionem, vel potationem; alias dicendum esset, jejunium quoque solvere, qui in culina ciborum fumum exciperent. Hinc probabiliter docet contra Salm. idem Lig. l. c., quod jejunium non solvit, etiamsi fumus voluntarie in stomachum immittatur, quis enim idipsum quoque dicat comestionem?

163. Sequitur 5.°, quod esus rerum omnino indi-

gestibilium, ut sunt capilli, ungues, metallum, vitrum, fila serica, vel lanea, et ossicula omnino depurata, nec etiam jejunium solvit; cum enim non nutriant, nec rationem cibi habeant, non cadunt sub prohibitione Ecclesiae, ne vel minimum cibi, aut potus ante Eucharistiam sumatur. Ob rationem autem oppositam secus dicendum de rebus digestibilibus, quae scilicet a stomacho alterari, et in substantiam edentis converti possunt, ut charta, palea, filum lineum, pulvis medicinalis, cera, quibus etiam Lig. n. 281. terram, seu cretam accenset, cum in ea quoque inveniatur aliquid a stomacho alterabile, et nutritivum.

164. Sequitur 6.°, quod si quis post comestionem non dormierit, vel non digesserit cibum, non impeditur a praecepto jejunii, quod possit communicare.

165. Advertendum demum cum eod. Lig. n. 282, et 288. ad scrupulos hac super re abjiciendos, 1.°, quod cum hoc praeceptum obliget, ne ante Eucharistiae sumptionem aliquid minimum sumatur; hinc si Sacerdos una cum ablutione Eucharistiam sumat, vel quivis alius os post Communionem abluat, ut possit deglutire particulae fragmenta, quae ori haeserint, non obstat jejunio, quod ablutio deglutiatur prius, quam hostia, vel hostiae fragmenta, quia totum illud ex ablutione, et particulis sumitur unica sumptione, unde bene verificatur, violationem jejunii Communionem non praecessisse. Dicitur proinde in Rubr. Miss. *t.* 10. *n.* 8., quod si particula in calicem immissa huic deinde haereat, potest vinum infundi, et sumi: adduntque Lugo, et Salm., posse iterum vinum infundi, usque dum particula sumatur; falsumque es-

se, hujusmodi sumptione frangi jejunium, vel saltem dicendum, ut omnes concedunt, non obstare hanc fractionem jejunio ab Ecclesia praecepto. 2.°, quod cum horologia sunt dissonantia, licet juxta communissimam sententiam ultimum sequi, dummodo de errore non constet, nec horologium de illis sit, quae ut plurimum errant, hoc enim tunc quoque errare recte praesumitur. Qui tamen deglutiret cibum post primum ictum horologii, tametsi ante ultimum, non posset amplius communicare, quia ad primum horologii ictum jam expleta est media nox; certumque est, quod tempus mediae noctis non moraliter, sed physice est accipiendum.

166. Ab hoc tamen praecepto sumendi Eucharistiam ante omnem cibum, vel potum excusantur 1.° qui versentur in mortis periculo, sive illud sit ex morbo, vulnere, veneno, sive ex sententia Judicis, si hic nolit tamdiu executionem mortis differre, ut damnatus ad mortem jejunus possit communicare. Cumque hoc Sacramentum suscipiatur tunc temporis, non solum ad satisfaciendum praecepto, sed ad praesidium contra tentationes, quae tunc magis urgent; hinc ex communi, et vera sententia, ut scribit Lig. n. 285, non solum si novum recurrat periculum, sed etiam si idem perduret, potest illud iis non jejunis iterum ministrari; utque testatur Ben. XIV. *l. 7. de Syn.* c. 12., nemo umquam Theologorum alicujus nominis hanc sententiam negavit. Accedit etiam ipsum Rit. Rom. *tit. de Comm. infirm.*, permittens infirmo non jejuno iterum, et saepius Eucharistiam per modum viatici sumere, dummodo ab ultima viatici sumptione

decem dies intercesserint: subjungens tamen idem Lig., quod non improbabiliter Laym., Ronc., aliique dicunt, quod infirmus assuetus saepius ex devotione communicare bene potest altero die statim post viaticum sumptum suscipere communionem non jejunus; quodque id in singulis diebus admittunt Pal., Arm., ac Dic., et probabile putat Tamb., cum infirmi absolute excipiantur a lege jejunii in Conc. Constantiensi *sess.* 13., ubi: *Sacrorum Canonum auctoritas, et approbata consuetudo Ecclesiae servavit, ac servat, quod hujusmodi Sacramentum non debet a fidelibus recipi non jejunis, nisi in casu infirmitatis, aut alterius necessitatis a jure, vel Ecclesia admisso, vel concesso.*

167. Si tamen Sacerdos morti, sive naturali, sive violentae vicinus celebrare sine dubio potest non jejunus ad dandum sibi Viaticum, quia in eadem persona, ut Lig. disserit n. 286., concurreret praeceptum Ecclesiasticum, et Divinum, quod postremum praeferendum est; probabilius tamen ex eod., nequit non jejunus celebrare ad ministrandum alteri Viaticum ob oppositam rationem, quia praeceptum Ecclesiasticum de jejunio, et Divinum de sumendo Viatico non concurrunt in eadem persona; ideoque Sacerdos cum unico tantum praecepto obstringatur, non celebrandi scilicet, nisi jejunus, non potest illud violare, ut moribundus suum adimpleat praeceptum; ad quod eo casu nec etiam moribundus tenetur, cum per ipsum non stet. Nec valet paritas, quod sicut potest Sacerdos lethalis peccati conscius absque praevia Confessione celebrare ad dandum Viaticum, tametsi probatio

Confessionis sit, ut diximus n. 30., de praecepto Divino, ita etiam sine jejunio: cum enim Sacerdos possit tunc ob necessitatem per contritionem se disponere, obicem quoque peccati auferre potest; sed non jejunus, cum non possit obicem tollere violati jejunii, neque etiam potest irreverentiam vitare: ideoque patet disparitas.

168. Excusat 2.° a praecepto jejunii ante Eucharistiam periculum, ne Eucharistia pereat, vel male tractetur. 3.° gravis infamia, vel scandalum, quod oriturum sit ex omissione Sacrificii, vel Communionis. Et quidem Sacerdos, si recordetur post consecrationem, se non esse jejunum, certum est non teneri, nec posse Missam deserere, cum praeceptum Divinum perficiendi Sacrificium praeponderet Eccles. non communicandi post cibum, vel potum. Si vero ante consecrationem, debet utique desistere a Missa, si possit sine infamiae nota, aut scandalo; quod semper, ut ait Lig. n. 287., potest timeri, nisi celebrans sit notae, aut saltem praesumptae probitatis. 4.° perfectio Sacrificii, ut innuimus, quodque aliis quatuor modis evenire potest: 1.° si consecrationis verba prolata fuerint super aqua, quam si Sacerdos advertat cum illam sumit, non debet illam expuere ob periculum ejiciendi aliquod hostiae fragmentum, sed deglutire, ac denuo consecrare vel utramque materiam, vel tantum vinum, utramque enim sententiam Rubr. Miss. *de Defect. c. 4. n.* 5. docet esse probabilem, si in publico celebretur. 2.° si celebrans post consecrationem deficiat, tunc enim tenetur alius etiam non jejunus, si jejunus haberi nequeat, perficere. Idque

etiamsi solus calix esset sumendus, ex Lig. n. 355.: addens, quod juxta Croix etiam Sacerdos excommunicatus, atque irregularis supplere debet, si alii desint, et ipse possit sine gravissimo incommodo: sicut etiam non esse quaerendum alium Sacerdotem, qui suppleat, quam per unam circiter horam, quia alias non censeretur unum Sacrificium; ac si possit suppleri ab eodem Sacerdote, melius esse, quam suppleri ab alio, etiamsi ille non esset jejunus. 3.° si pars hostiae post ablutionem sumptam calici, vel palato adhaereat, quae decentius nova ablutione, quam digito propellitur; quamvis Missale etiam permittat, ut digito attrahatur ad labium calicis, et sumatur ante ablutionem. 4.° si ejusdem Sacri fragmenta sumenda sint, super quibus consulatur quod diximus n. 144.

169. Requiritur demum in subjecto Eucharistiae ex parte corporis, quod mulieres ad Communionem modeste accedant, pectore cooperto, et sine vano ornatu; adeo ut si quae nimis immodeste accedat, huic neganda est Communio. Milites, quod accedant depositis armis; cum quibus caeterum accedere non excederet veniale. Sacerdotes demum communicantes Laicorum more, quod accedant stola induti, sine qua excusantur quidem communiter a mortali, sed a veniali, ut ait Lig. n. 276., excusari nequeunt, cum praecipiatur a Rit. Rom.

Caput VII.

De admirabilibus Eucharistiae effectibus.

170. Ad duos referri possunt praecipui hujus Sacramenti effectus, gratiae nempe augumentum, et gratiam Sacramentalem. Et quoad 1.m, conferre augumentum gratiae praecipuus est hujus Sacramenti effectus, et quidem abundantius, quam caetera Sacramenta, utpote quod ipsum gratiae Auctorem continet. Conferre autem aliquando potest, ut diximus n. 6., etiam primam gratiam; cum quis nempe invincibiliter ignorans esse in peccato lethali, vel credens in necessitate communicandi, vel celebrandi absque Confessarii copia contritionem habere, cum sola attritione ad Communionem accedat.

171. In quo vero consistat gratia Sacramentalis, quam confert, paullo diutius declarandum est. Cum Dominus itaque expresse dixerit Jo. *Caro mea vere est cibus*, citra dubium est, quod idem in anima Eucharistia efficiat, quod cibus materialis in corpore; Sacramenta enim id praestant, quod significant. Hinc quia cibus materialis quatuor effectus praestat quoad corpus, quod scilicet 1.° vires per laborem, et calorem naturalem deperditas reparat: 2.° vitam conservat: 3.° nutrit, atque incrementum tribuit, donec corpus virilem, perfectamque aetatem attigerit: 4.° delectat, et cum voluptate a recte valentibus percipitur: totidem quoque effectus praestat Eucharistia quoad animam, modo non ponat obicem; suntque hujusmo-

di effectus ejus gratia Sacramentalis: quod et diserte declaravit Flor. in Decr. pluries relato, nec non Trid. *sess.* 13. *c.* 2., ubi: ***Sumi autem voluit Sacramentum hoc, tamquam Spiritualem animarum cibum, quo alantur, et confortentur viventes vita illius.*** Hinc sequitur, vi hujus gratiae Sacramentalis effectum Eucharistiae esse 1.° remissionem venialium, ut et D. Th. docet *p.* 4. *q.* 79. *a.* 4., et subinde Trid. declaravit dicens *sess.* 13. *c.* 2., quod hoc Sacramentum est *antidotum, quo liberamur a culpis quotidianis, et a peccatis mortalibus praeservamur.* Et quidem venialia delere *ex opere operato*, Salm. docent, eo fere modo, quo materialis cibus remittit in homine quod perdiderit ex actione caloris naturalis, per infusionem nempe gratiae nutrientis, et restaurantis damna, quae ex venialibus nobis sequuntur: at Lig. n. 266. id praestare docet per actus charitatis, quos excitat ex D. Th. *l. c.* ajente, quod effectus hujus Sacram. ***est charitas, non solum quantum ad habitum, sed etiam quantum ad actum, qui excitatur in hoc Sacramento, per quem peccata venialia solvuntur***; quia absque poenitentia, saltem implicita, qualis in charitate continetur, numquam fieri potest, ut peccatum aliquod deleatur. 2.° praeservationem a mortalibus, ut etiam constat ex relatis Trid. verbis; per abundantiam nempe auxiliorum, quibus excitatur devotio, fortius resistitur tentationibus, fugantur Daemones, etc., ut docet D. Cyrillus. Immo, ut asserunt Salm., per subtractionem quoque ab iis occasionibus, in quibus in mortale laberetur. 3.° auxilia quaedam peculiaria ad perfectionem assequendam. 4.° demum actualem spiritus dul-

cedinem, ob quam voluntas prompte, ac hilariter salutis, ac perfectionis viam calcet.

172. Hos autem diximus praecipuos esse hujus Sacramenti effectus: accedit namque, quod ipsius sumptione communicans intime cum Christo unitur, ut ipse Christus inquit Jo. 7.: *Qui manducat meam Carnem, et bibit meum Sanguinem, in me manet, et ego in eo.* Quodque charitatis actibus, qui per illud excitantur, consequitur remissionem quoque poenae temporalis, quae post remissionem peccati quoad culpam, et reatum poenae aeternae superest luenda, et efficaciter disponitur ad citiorem consecutionem gloriae, ex Christi verbis Jo. 6.: *Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum.* Cumque communicans ei uniatur nedum quoad animam, sed etiam quoad corpus, hinc operatur quoque hoc Sacramentum quoad corpus, quod in eo minuat concupiscentiae fomitem, excitet bonas immaginationes; et quodammodo ipsum sanctificet, ac disponat ad futuram resurrectionem, et gloriam.

173. Advertendum tamen est, quod a communicantibus vel cum irreverentia veniali, vel cum affectu ad veniale, percipitur quidem per Sacramentum, ut docet Lig. n. 270., augumentum gratiae habitualis, non tamen percipiuntur praedicti effectus, in quibus consistit gratia Sacramentalis. Primum, quia augumentum illud est ex virtute Sacramenti, quod agit ad modum causarum naturalium, quae necessario operantur, ubi non inveniunt obicem: nec satis fundata est sententia affirmans, quod irreverentia venialis, vel affectus ad veniale sit obex gratiae habituali

per Eucharistiam producendae, cum certum sit, gratiam habitualem formalem oppositionem non habere cum peccatis venialibus. Alterum, quia illi effectus obtinentur per specialia gratiae auxilia, quae communicans demeretur per illam irreverentiam venialem, sicut per affectum ad veniale. Quam etiam fuisse D. Th. sententiam, constat ex 3. *p. q.* 79. *a.* 8.; ubi revocans quod junior scripserat in 4. *Sent.*, haec habet: *Peccata venialia non ex toto impediunt hujus Sacramenti effectum, sed in parte. . . Non tollitur augumentum habitualis gratiae, vel charitatis.* Id quidem verius ex Lig. l. c.: non improbabiliter tamen ex eodem, communicans cum culpa veniali in actu Communionis nedum venialiter peccat, quod citra dubium est, sed nec ullum fructum ex Sacramento recipit; tum quia difficile intellectu videtur, quod idem homo simul crescat in gratia, et peccet venialiter: tum quia PP. passim a Communione retrahunt nedum eos, qui sunt in peccato mortali, sed et eos, qui indevote accedunt; qui tamen retrahendi non essent, si in eo statu augumentum gratiae consequerentur.

174. Advertendum item; gratiam habitualem hoc Sacramentum conferre in ipsa sumptione, seu, ut docet D. Th., in deglutitione; ideoque praecipuam tunc, et maximam in suscipiente devotionem requiri: Sacramenta enim operantur in ipsa applicatione, sive in usu signi exterioris, ut Baptismus in ablutione, Confirmatio in manus impositione, quae fit per unctionem chrismatis: quare et Eucharistia in manducatione, quae est usus ciborum. Manducatio autem est trajectio cibi in stomachum, non vero ipsa

nutritio, quae est manducationis effectus; nec cibi comminutio, quae fit dentibus, qui enim comminutum cibum expueret, non censeretur manducasse: ex quo sequitur, quod qui sacras species in ore detineret, nullum ex Sacramento fructum perciperet. An autem species consecratae diutius in stomacho manentes sint causa majoris gratiae, majori dispositione accedente, improbabile id non putat Lig. n. 228, praeeuntibus prae aliis Suar., Lug., ac Tourn., quia, ut ait Flor., hoc Sacramentum institutum est per modum cibi: unde sicut cibus toto tempore, quo in stomacho manet, corpus nutrit, ita pariter semper ac Eucharistia in stomacho manet, nutrit animam, augendo gratiam. Ubi tamen notandum, ut subdit, quod ex Decr. S. C. ab Innoc. XI. adprobato vetitum est tradere communicantibus plures particulas simul, vel solito grandiores.

175. Quantum denique temporis species consecratae maneant in stomacho, quin corrumpantur, respondet idem Lig. n. 225. et 283., quod juxta qualitatem stomachi magis, vel minus calidi, aut validi species consummantur: quodque generatim loquendo, si agatur de sanis, refert Lugo, plures Medicos a se Romae consultos putasse, in Laicis species intra minutum corrumpi, in Sacerdotibus intra medium quadrantem: regulariter vero ab omnibus intra horam consummari, infirmum enim quemdam post mediam horam integras species rejecisse, Tamb. refert. Hinc, an liceat edere, vel bibere statim post Communionem, respondet ibid., quod nisi adsit aliqua causa,
fas esse non, [illegible]

puta si Religiosus post Missam dato signo debeat ad mensam accedere, talis comestio, dum adhuc in stomacho perseverant species consecratae, ob aliquam irreverentiam excusari nequit a veniali.

CAPUT VIII.

De Eucharistia, ut est Sacrificium. Et 1.° de credendis quoad Sacrificium Missae.

176. Et 1.° de fide est, Eucharistiam non solum esse Sacramentum, sed etiam Sacrificium; definiit enim Trid. sess. 22. can. 1. *Si quis dixerit in Missa non offerri Deo verum, et proprium Sacrificium; aut quod offerri non sit aliud, quam nobis Christum ad manducandum dari, anathema sit.* Probatur autem 1.° ex Scripturis. Et 1.°, cum dicatur Christus et Ps. 109., et ab Ap. ad Heb. 7. *Sacerdos in aeternum secundum ordinem Meschisedech*, hinc ritu Melchisedech offerre debuit Sacrificium, Sacerdotium enim essentialiter ordinatur ad Sacrificium. Atqui Sacrificium, quod Melchisedech obtulit, fuit in pane, et vino, ut habetur *Gen. c.* 14.: In pane igitur, et vino obtulit quoque Christus Sacrificium; quod quando dicendum fecisse, nisi in ultima coena cum discipulis facta, in qua ab Evangelistis dicitur, quod *accepit panem ec., similiter et calicem ec.?* Quod autem ipse fecit in ultima coena, de mandato, et in persona ipsius fecerunt deinde Apostoli, et modo faciunt illis in Sacerdotio successores, dum Missam celebrant; de mandato enim, et in persona ipsius

offerunt sub speciebus panis, et vini ipsius Corpus, et Sanguinem, quod ipse tunc obtulit: Sicut ergo Christus, offerens sub illis speciebus Corpus, et Sanguinem suum, verum Sacrificium obtulit, idem et Sacerdotes offerre, consequens est. 2.° ex verbis tunc prolatis; non enim ait: *Hoc est Corpus meum*, *quod vobis datur*, sed *quod pro vobis datur* (*Luc.* 22.): sicut etiam: *Hic est Sanguis meus, qui pro multis effundetur* (*ibid.*); utque habet graecus D. Lucae Textus, *qui pro vobis funditur*. Haec autem verba non significant tantum, quod ipsis dabatur ad manducandum, et ad bibendum, sed quod pro ipsis, ac multis, seu pro omnibus sacrificabatur, et offerebatur. Quod proinde confirmans Ap. 1. ad Cor. c. 13.: *Quotiescumque* (ait) *manducabitis panem hunc, et Calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* 3.° ex illis Malachiae verbis c. 1. *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim Solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus; et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda.* Hoc autem oraculum non aliud, nisi Sacrificium Eucharisticum respicere poterat: non enim Prophetae verba intelligi possunt de Crucis Sacrificio, utpote quod oblatum fuit non omni loco, sed Hierosolymis tantum. Non de sacrificiis Judaeorum, siquidem Malachias loquebatur de Sacrificio offerendo in Gentibus; sacrificia autem Judaeorum inter solos Judaeos offerebantur. Nec demum de interiori, ac spirituali Sacrificio laudis, tum quia contraponitur haec nova oblatio Sacrificiis Judaicis, quae erant externa, tum

quia hoc sacrificium laudis quovis tempore a viris justis, et piis etiam ante Evangelium Deo oblatum fuit. Restat ergo, ut intelligantur de Sacrificio Eucharistico, quod omni loco offertur, utque ait Trid. *sess.* 22. c. 1., *illa munda oblatio est, quae nulla indignitate, aut malitia offerentium inquinari potest.* 4.° ex praedictione Danielis c. 8. quod Antichristus ablaturus erit *juge Sacrificium.* Quodnam autem istud, nisi Eucharisticum? Sacrificium enim laudis improprie dicitur Sacrificium; nec tunc cessabit, sed durabit in electis.

177. Idem autem confirmatur ratione theologica. Et sane definitur Sacrificium *oblatio rei sensibilis, simul cum ejus destructione Deo facta per legitimum ministrum ad recognoscendum supremum ejus dominium in omnes creaturas.* In Missa autem habetur 1.° *oblatio rei sensibilis*, Corporis nempe, et Sanguinis Christi sub speciebus panis, et vini, quod antiquarum victimarum instar super Altari constituitur. Haec oblatio fit Deo *per Ministrum legitimum*, fit namque per Sacerdotem, qui est Minister ad id consecratus, et deputatus ab Ecclesia ex ipsius Christi institutione. Oblationem comitatur *destructio*, seu immolatio: cum enim vi verborum sub speciebus panis constituatur solum Corpus, et sub speciebus vini solus Sanguis, etsi enim Christus totus sub utraque specie reperiatur, totus tamen sub utraque specie reperitur, non *vi verborum*, sed *per concomitantiam*; hinc en mystica separatio Corporis a Sanguine, vivaque simul repraesentatio illius realis separationis, quae Passionis tempore accidit. Sive, ut Fromondus loquitur, cum seorsim

consecretur et substantia panis, et substantia vini, hinc si *vi verborum* stemus, sub speciebus panis constituitur Christi Corpus velut exangue, et mortuum, et Sanguis dumtaxat sub speciebus vini. Recognoscitur demum praedicta ratione *supremum Dei in omnes creaturas dominium*, cum in ejus honorem constituatur ipsemet ejus Filius in quodam statu mortis; quod et futura Sacerdotis Communione multo magis completur. Quare in Missa verum, et proprium Sacrificium Deo offerri, consequens est.

178. Porro cum sit unicum Novae legis Sacrificium, omnes proinde Sacrificiorum veteris legis rationes includere, commune est ap. DD.: quare et *Latreuticum* est, sive holocaustum in recognitionem Divinae excellentiae; et *Eucharisticum* in gratiarum actionem; et *Propitiatorium* pro peccatis; et *Satisfactorium* pro poenis peccato debitis; et *Impetratorium* denique omnium bonorum per Christi merita. Hinc ait Trid. sess. 22. c. 2. *Hac oblatione placatus Dominus, gratiam, et donum poenitentiae concedens, crimina, et peccata etiam ingentia dimittit. Per ipsumque fieri, ut si cum vero corde, et recta fide, cum metu, et reverentia, contriti, ac poenitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno.* Patet proinde responsio haereticis ajentibus, vanum esse Missae Sacrificium, quia per Sacramenta sufficienter nobis applicantur fructus Passionis Christi. Sacramenta enim aliis non prosunt, quam suscipientibus; nec adultos disponunt, sed supponunt dispositos, alias illos non sanctificant, sed inquinant: Missae vero Sacrificium offertur pro omnibus; ipsis-

que peccatoribus impetrat auxilia, quibus per veram conversionem ad Poenitentiae Sacramentum praeparentur.

179. Nec mirum, quod omnes antiquorum Sacrificiorum rationes includat, ut enim definiit ipsum Trid. l. c., *una, eademque est hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in Cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa*; quia nempe Sacrificium, quod de seipso in Cruce obtulit, fuit cruentum, quod vero de seipso offert in Missa per Sacerdotum ministerium, est incruentum: in illo mors vera, et physica intercessit, in hoc tantum mystica: illud fuit meritorium, utpote in quo solutum fuit pretium nostrae Redemptionis, in hoc tantum applicantur Redemptionis merita. Et sane, quod Missae Sacrificium sit vera Sacrificii Crucis repraesentatio, sequitur ex dictis n. 177. Quod autem sit vera etiam ejusd. continuatio, videtur obstare, quod in Missae Sacrificio non habeatur realis victimae immolatio; sed tantum mystica. Id tamen non obstat Sacrificii veritati; immo nec obstat quominus et illud, quod in ultima coena obtulit; et quod modo quotidie offert per Sacerdotes sint unum, idemque cum Crucis Sacrificio: ut enim constat ex Sacrificiis Aaronicis, aliquando in iis oblatio immolationem praecedebat, quemadmodum in Sacrificio hirci, qui prius offerebatur vivus; deinde mittebatur in desertum ibi periturus; aliquando vero immolationem sequebatur, ut cum victimae sanguis extra Sanctuarium fundebatur, quem deinde colligens Pontifex, deferebat in Sancta Sanctorum, illum ibidem oblaturus. Hinc autem sequitur, nihil rationem Sacrificii in-

ficere, dum de eo agatur, quod Christus obtulit in ultima coena, quod oblatio praecessit mactationem; sicut etiam dum de eo agitur, quod offert quotidie per Sacerdotes, quod oblatio post mactationem fiat: Quod igitur in eo, quod obtulit in ultima Coena, oblatio praecesserit mactationem, quodque in eo, quod offert quotidie per Sacerdotes, oblatio post mactationem fiat, nihil obstat, quominus unum, idemque dicantur cum Crucis Sacrificio, tametsi illius mystica tantum repraesentatio. Quibus positis: quia Christus est Summus Sacerdos Novi Testamenti secundum ordinem Melchisedech, seipsum in novissima Coena Deo Patri obtulit sub speciebus panis, et vini, priusquam in Cruce immolaretur. Post Passionem suam vero immolatum jam seipsum indesinenter Deo Patri offert, tum in Coelo, quo ingressus est in proprio Sanguine, quemadmodum Pontifex Hebraeorum typice in Sanctuarium ingrediebatur in sanguine alieno; tum in Terris per Sacerdotum ministerium sub speciebus panis, et vini. Hinc Apoc. 5. ait D. Jo.: *Et vidi: et ecce in medio Throni Agnum stantem, tamquam occisum*: atque hinc etiam constat veritas, quod Christus est *Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.* Ex quo et patet, quomodo respondendum sit haereticis ajentibus, quod non sine injuria Passionis Christi offertur Missae Sacrificium, idque confirmantibus ex ep. ad Heb. 10., ubi Ap. ait; quod Christus *una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos*; idest per unum Crucis sacrificium omnia nobis meruit. Cum enim Missae Sacrificium unum, idemque sit cum Crucis Sacrificio, nihil proin-

de meritis Passionis Christi addit, sed solum applicat iis, pro quibus offertur, ipsius Passionis merita.

180. Ait vero Trid., idque etiam dignum, ut notemus, quod Christus *seipsum tunc in Cruce obtulit*: quod enim ipse se in Cruce obtulerit, ipsemet tunc testatus fuit, cum Jo. 10. ait: *Nemo tollit animam meam a me, sed ego pono eam a me ipso*: ex quibus verbis sequitur, quod ipse per se animam suam in Cruce sejunxit a corpore, ipseque, non tortores, sibi vitam eripuit. Hinc *clamans voce magna emisit spiritum* (Marc. 15.); ut nempe ostenderet, non vi dolorum obire, sed proprio nutu: quod sane adstantes adeo cognovere, ut videns Centurio, quia sic clamans expirasset, ait: *Vere hic homo Filius Dei erat.*

181. Ex eo autem, quod Missae Sacrificium unum, idemque sit cum Crucis Sacrificio, sequitur, esse etiam quoad se infiniti valoris; ut probat quoque praxis Ecclesiae, secundum quam Sacerdos tenetur offerre pro omnibus Orthodoxis, etsi stipendium ab aliquo acceperit, ut pro eo specialiter offeratur: cum enim huic fieret injuria, si pro pluribus oblatum minus ei prodesset, hinc juxta Ecclesiae mentem dicendum est, ejus valorem non minui, cum pro pluribus offertur, ideoque esse infinitum. Quod si nihilominus nequeunt Sacerdotes plura stipendia pro uno Sacrificio accipere, idque si facerent, ad restitutionem quoque tenerentur, ideo id est 1.°, quia Sacerdos, ut Lig. n. 312. advertit, non accipit eleemosynam, tamquam Sacrificii pretium, sed tamquam stipendium personae ob suum ministerium. Quaprop-

ter cum lex, vel usus communiter receptus fixerint quid, et quantum Sacerdos pro tali stipendio debeat accipere, peccabit, et ad restitutionem tenebitur, si quid amplius, quam lege, et usu praefixum sit, accipere velit, nisi ultro offeratur ab iis, qui legem, vel usum sciant. 2.° quia sicut Sacrificium Crucis, licet quoad sufficientiam, et in genere satisfactionis fuerit infiniti valoris, nonnisi tamen finito modo applicatur hominibus, secundum uniuscujusque dispositionem, ita et Sacrificium Missae: eo etiam modo, quo Sacramenta, licet infinita virtute polleant, effectum tamen limitatum operantur. Quare idem Lig. l. c. distinguit in Missae Sacrificio valorem, et fructum: Valor enim (inquit) *est efficacia, quam habet Missa ex dignitate offerentis, et rei oblatae ad conferenda bona iis, pro quibus offertur.* Fructus vero *sunt bona ipsa, quae ejus intuitu Deus confert.* Isque distinguitur 1.° in illum, qui dicitur *ex opere operato*, estque *is, qui intuitu meritorum Christi confertur*; et in illum, qui dicitur *ex opere operantis*, estque is, *qui confertur intuitu meritorum, et devotionis celebrantis.* 2.° in propitiatorium, satisfactorium, et impetratorium, de quibus diximus n. 178. Ac 3. in generalem, idest *qui obtingit omnibus fidelibus vivis, et defunctis.* Specialem, idest *qui obtingit tam iis, pro quibus applicatur, quam assistentibus, et concurrentibus ministrando paramenta, etc.*: ac specialissimum, idest *qui soli Sacerdoti obtingit.* Quibus positis, infinitus quidem est valor Missae, ut ipse subdit, et quia unum, idemque Sacrificium cum Crucis Sacrificio, et quia ita colligitur ex praxi Ecclesiae. Non applicatur

tamen hominibus, nisi modo finito, ac proinde ejus fructus dicendus est finitus, non enim iis prodest, nisi juxta eorum dispositionem, utque D. Th. 3. *p. q.* 79. *a.* 5. docet, *secundum quantitatem* devotionis. Hinc quia devotiores, magisque dispositi censentur, qui eleemosynam celebranti tribuunt, et curant, ut pro iis specialiter offeratur, nec non qui, intermissis negotiis, illi assistunt, et in eo ministrant: semper proinde creditum est, eosdem majorem quoque fructum ex Missae Sacrificio percipere.

182. Atque hic non pauca notanda sunt quoad fructum, qui dicitur *ex opere operato*, et *ex opere operantis*. Quoad 1.^m^ enim, quod Missae Sacrificium suam efficaciam exerat quoad aliquos effectus *ex opere operato*, constat ex eo quod illud dicitur oriri *ex opere operato*, quod non repetitur ex dispositionibus nec offerentis, nec ministrantis. Obtinentur autem effectus per Missae Sacrificium, qui repeti nequeunt ex dispositionibus nec offerentis, nec eorum, pro quibus offertur, cum offeratur etiam pro scelestissimis a Sacerdote aliquando indignissimo: ergo. Et vivis porro, et defunctis prodest quoad aliquos effectus *ex opere operato*: his namque prodesse, definiit Trid. sess. 25. Decr. de Purg., dicens, *animas in Purgatorio detentas fidelium suffragiis*, *potissimum vero acceptabili Altaris Sacrificio juvari.* Quod probatur et ex *l.* 2. *Mach. c.* 12., ubi dicitur, quod *fortissimus Judas duodecim millia dracmas argenti misit Jerosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium*; et ex Christi verbis Matth. 26.: *Hic est sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remis-*

sionem peccatorum : ex quibus infert Lig. n. 310., quod defunctis prodest ex infallibili Christi promissione. Ubi etiam quaerens, an Missa Defunctorum iis prosit magis, quam Missa respondens officio diei, respondet cum D. Th. *suppl. q.* 71. *a.* 9. *ad* 5., quod *ex parte Sacrificii oblati aequaliter prodest defuncto, de quocumque dicatur; sed ex parte orationum magis prodest illa, in qua sunt orationes ad hoc determinatae; qui tamen defectus recompensari potest per majorem devotionem vel ejus, qui dicit Missam, vel ejus, qui jubet dici, vel per intercessionem Sancti, cujus suffragium Missa imploratur.* Vivis autem prodest tum quoad peccatorum veniam, tum quoad augumentum gratiae, non tamen immediate, sicut Sacramenta, sed mediate, quatenus per illud impetrantur gratiae actuales in auxilio opportuno, ut ex Trid. diximus n. 178.; tum quoad remissionem poenae temporalis, saltem ex parte, cum enim offeratur pro Defunctis, in quibus sola poena temporalis est relaxanda, ad quem effectum, cum non sint in statu merendi, nihil ipsi conferre possunt, ad eumdem proinde effectum prodesse etiam vivis, consequens est: tum demum quoad bona temporalia, si ad salutem animae expediant, cum definierit Trid. sess. 22. can. 3., *offerri pro peccatis, poenis, satisfactionibus, et aliis necessitatibus.* Et sane si per vetera Sacrificia impetrabantur etiam gratiae temporales; legitur enim *l.* 2. *Reg. c.* 24., quod David pro sedanda peste *obtulit holocausta, et pacifica, et propitiatus est Dominus terrae, et cohibita est plaga*: et *l.* 2. *Mach. c.* 3., quod Onias pro Heliodori salute hostiam obtulit, et

homini impio vitam promeritus est: ut figuram proinde vincat realitas, vetera siquidem Sacrificia totidem erant Sacrificii Eucharistici figurae, multo magis istud ad bona etiam temporalia valere, dicendum est. Advertendum tamen, quod non licet illud offerre Ecclesiae nomine, atque ut Christi minister, pro excommunicatis non toleratis, eos namque Ecclesia excludit a suis orationibus, et suffragiis, prohibetque, ne ad Altare nominentur: pro toleratis vero, probabilius licet ex Lig. n. 309, quia in Extrav. Martini V. *Ad evitanda*, quamvis nihil indulgeatur excommunicatis toleratis, conceditur tamen fidelibus communicare cum illis, etiam in Divinis. Subjungens, quod probabilius etiam licet illud offerre pro infidelibus, tum quia in lege veteri soliti fuerunt Judaei sacrificare pro Gentibus, ut habetur ex *l.* 1. *Mach. c.* 12., ubi ab ipsis scribebatur Spartanis: *Memores sumus vestri in Sacrificiis, quae offerimus*: tum quia sic celebrans magis conformatur Christo, qui pro omnibus se obtulit: quodque pro ipsis non toleratis licet quoque Sacerdoti offerre Missam privatim, quatenus nempe est opus proprium suae privatae personae. Atque haec dixisse sufficiat de fructu *ex opere operato*, sub quo respectu aeque prodest Missae Sacrificium, si offeratur a Sacerdote bono, quam si a malo, quia aeque pendens ejus valor a Christi merito.

183. Quoad illud vero, qui dicitur *ex opere operantis*, quamvis, ut ait Alex. III. c. 90. caus. 1. q. 1., *Sacerdotes quanto digniores fuerint, tanto facilius, pro quibus clamant, exaudiantur*; credendum tamen non est, quod ejus fructus *ex opere operantis* nullus

sit, dum a malo Sacerdote offeratur: etiam namque hujus preces, quatenus factae nomine Ecclesiae, cujus est minister, valent, ac Deo sunt gratae. Censet quidem D. Th. 3. *p. q.* 79. *a.* 7. *ad* 3., quod si celebrans sit excommunicatus, *orationes ejus efficaciam non habent, quia est ab Ecclesiae unitate separatus.* Id tamen ex Lig. n. 312. verius dicendum est, si sermo sit de excommunicato non tolerato; secus vero, saltem probabiliter, si sermo sit de tolerato, quia Ecclesia permittendo, quod fideles Missas ab eo postulent, consequenter etiam permittit, ut omnino ipsae fructuosae sint postulantibus.

184. An demum Sacrificii essentia consistat in sola consecratione, vel potius in consecratione simul, et communione Sacerdotis, quaestio est inter TT. Primum est communius, et valde probabile, ut definit Lig. n. 305.: 1.° quia in sola consecratione habetur totum id, quod Sacrificii essentiam constituit, ex dictis n. 177. 2.° quia in ea sola actione Sacrificii essentiam consistere dicendum est, quam Sacerdos exercet in persona Christi, qui est principalis offerens ex Trid. *sess.* 22. *c.* 2. Sola autem consecratio est actio, quam Sacerdos in persona Christi exercet dicens: *Hoc est etc. Hic est etc.* 3.° quia de fide est, Christum in ultima coena verum obtulisse Sacrificium. At, quamvis commune sit ap. DD., ipsum fuisse cibum simul, et convivam, non est tamen de fide, ipsum Sacramentaliter communicasse. 4.° quia actio sacrificativa est propria Sacerdotis; qualis tamen non est communio, nam et Laici communicant, et Diaconi, tamquam ministri extraordinarii Eucharistiam distribuunt. 5.° quia

consumptio specierum fit in stomacho vi caloris naturalis, non vero in Altari, ubi perficiendum est Sacrificium. Alterum tamen, tamquam probabilius, Lig. amplectitur l. c. cum Bell., Tourn. etc. 1.° quia actio sacrificativa supponit victimam. Hujusmodi autem non est consecratio, utpote quae non supponit, sed sistit Christum sub sacris speciebus. 2.° quia, ut omnes fatentur, adeo necessaria est communio Sacerdotis ad Sacrificii integritatem, ut juxta Ecclesiae disciplinam si contingat celebrantem repentino morbo corripi ante sumptionem utriusque speciei, alius substitui debet Sacerdos, etiam non jejunus, si alter desit, qui utramque speciem sumat, ut perficiatur Sacrificium. Quis autem non videat, quod si Sacrificium est absque illa imperfectum, ad rationem, et essentiam Sacrificii pertinere, dicendum est? 3.°, et quidem maxime, quia ad rationem Sacrificii pertinet quoque realis quaedam immutatio, seu destructio rei oblatae. Per consecrationem autem habetur tantum Christi reproductio sub speciebus panis, et vini, non vero ejus destructio sub iis speciebus, quae per communionem tantum Sacerdotis habetur. Nec dicatur, quod per consecrationem jam habetur mors Christi mystica; ideoque non habetur ejus mors realis, quia ob naturalem concomitantiam nequeunt Christi Sanguis, et Anima a Corpore separari: nam respondet Lig. l. c., quod si concomitantia illa naturalis impedit mortem, impedit etiam Sacrificium, quod sine vera, et reali destructione non perficitur. Resp. autem ad 1., et 2. arg., quod sunt mera petitio principii. Ad 3., quod cum non omnia Deus formaliter

revelaverit, hinc Christum in ult. coena communicasse habet tantum rationem conclusionis theol., utpote fluens ex prop. formaliter revelata, quod *Christus in ult. coena verum sacrificium obtulit*, et ex altera lumine naturali nota, quod *communio ad essentiam Sacrificii videtur pertinere.* Ad 4., quod ostendit tantum, Sacrificii essentiam principaliter consistere in consecratione. Ad 5. quod cum Communio sumatur de Altari, id sufficit ad dicendum, quod oblatio rei sensibilis simul cum ejus destructione in eo perficiatur.

185. Sequitur porro ex dictis, quod unam tantum speciem consecrare, vel Communionem omittere ex proposito numquam licet, quia idem esset, ac Sacrificium ex proposito mutilare: ac tantum per accidens, et indirecte id licere posset aliquando, puta irruente incendio, vel hoste ad necandum; tunc enim Sacerdos posset sumere hostiam consecratam, vel secum ferre Calicem non consecrando, quia non mutilaret Sacrificium, sed excusaretur a perficiendo illud, ut Lig. disserit n. 352.

186. Quoniam autem supra innuimus, quod, licet non sit de fide, Christum in ultima Coena Sacramentaliter communicasse, haec tamen est communis TT. sententia, paucis id probare praestabit. Id igitur 1.° indicant ejus verba Luc. 22. *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum*: cum enim quotannis vetus Pascha manducasset, cur alioquin tantum desiderium illud manducandi? 2.° ex illis verbis ibid., quod *accepit panem ec. Et accepto Calice etc.*, ex quibus ait D. Th. 3. *p. q.* 1. *a.* 1. *ad* 1. intelligendum est, quod panem, ac vinum nedum ac-

ceperit in manibus, sed quod ipse accipiens, comederit, et biberit. 3.°, quia si alios ad comedendum invitavit, decuit, ut ipse comederet, et biberet; decet enim convivam, qui alios invitat, simul cum iis sedere ad mensam, et manducare, et bibere. 4.° quia vere tunc Sacrificium obtulit: ergo et de ipso participavit.

187. Ex ipsa etiam Sacrificii definitione sequitur, quod illud nonnisi Deo offerri potest, quia per victimae mactationem testamur, Deum esse rerum omnium Supremum Dominum, ejusque Majestati profitemur nos totos devovere cum victima, cujus Sanguinem in hujusmodi testimonium offerimus. Hinc Sacerdotes veteris Testamenti imponebant manus super caput victimae, et Sacerdotes Novi Testamenti illas extendunt super oblata; ad significandum nempe, se, et adstantes spiritualiter immolari cum victima, quam exterius offerunt.

CAPUT IX.

De obligatione celebrandi; nec non Missarum eleemosynis, mutatione quoad locum, reductione quoad numerum, et applicatione quoad fructum.

188. Et quoad 1.m, quod Sacerdotes teneantur jure Divino aliquando celebrare, probatur 1.° ex illis Christi verbis: Luc. 22.: *Hoc facite in meam commemorationem*; quibus, ait Trid. sess. 22. c. 1., *Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent, praecepit.* 2.° ex Ap. ad Heb. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus con-*

stituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona, et Sacrificia pro peccatis. 3.° ex D. Th. 3. *p. q.* 82. *a.* 10., ubi: *Quia unusquisque tenetur uti gratia sibi data, cum fuerit opportunum*; ac secus faciens, assimilabitur servo, qui *abscondit talentum*, fuitque propterea ejectus *in tenebras exteriores* (Matth. 25.). 4.°, quia Sacerdos per diuturnum tempus non celebrando gravem de se suspicionem malae conscientiae praeberet. Qua super re habetur demum Decr. S. C. editum mense Nov. 1696., quo dictum fuit: *Qui sine justa causa ter, vel quater in anno non celebravit, peccat mortaliter, et potest ab Episcopo puniri.*

189. Quibus positis: De Episcopis dicitur *c. ult. de priv. in* 6., quod eos non decet ullam diem transigere sine Missa, remota rationabili causa: ubi caeterum textus, ut Lig. n. 313. advertit, non loquitur absolute de celebratione, sed vel de celebratione, vel de auditione Missae. De Sacerdotibus vero curam animarum habentibus ait Trid. l. c., ad celebrandum teneri *tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant*; omnibus nempe diebus festis, ut Lig. l. c. explicat, in quibus tenentur Parochiani Missam audire: in quibus enim diebus tenetur populus Missam audire, tenetur Parochus illam celebrare. De aliis demum Sacerdotibus ait ibid. Conc.: *Curet Episcopus, ut ii saltem diebus Dominicis, et Festis solemnibus Missas celebrent.* Ex quo loquendi modo infert idem Lig. l. c. cum longe communiori sententia, simplices Sacerdotes non teneri ad celebrandum, nisi ter, vel quater in anno in festis solemnioribus; immo probabiliter in quibuslibet diebus, modo inter eos quaedam distan-

tia servetur: idque ex relato superius Decreto comprobari potest. Excipiunt quidem Salm. Sacerdotes Religiosos, quos ad id teneri docent saltem singulis mensibus, quia omnes Religiosi, ut praecipitur in Clem. I. *Ne in agro*, §. *sane*, *de Statu Monach.*, nec non Moniales, ut dicitur in Trid. *sess.* 25. *c.* 10. *de Reg.*, tenentur singulis mensibus confiteri, et prima mensis Dominica communicare, nisi aliud Praelato, vel Confessario videatur. Respondet tamen Lig. 1.° ex relatis textibus induci tantum obligationem communicandi semel in mense, non autem celebrandi. 2.° haec Decreta praeceptum non exprimere, saltem clare, sed dumtaxat consilium, cum tantum dicatur: *Accedant ad Confessionem, et communicent.* Non est caeterum negandum, in omnibus Sacerdotibus esse laudabile, quod quotidie celebrent, modo id faciant cum debitis dispositionibus: qua super re cedro digna sunt D. Bonav. verba c. 5. *de praep. ad Missam*, ubi: *Accedere indigne horrendum est judicium: ob quod non solum mortalia vitanda sunt, sed etiam venialia peccata per negligentiam, et otium multiplicata, et per inconsiderationem, sive distractionem dissolutae vitae, et malae consuetudinis. Ideo cave, ne nimis tepidus, et inordinatus accedas, quia indigne sumis. Non accedere ex notabili negligentia, vel contemptu, damnabilis est culpa. Nam cum Sacerdos non ex reverentia, sed ex negligentia celebrare omittit, tunc, quantum in ipso est, privat Trinitatem laude, et gloria, Angelos laetitia, peccatores venia, justos subsidio, et gratia, in Purgatorio existentes refrigerio, Ecclesiam speciali beneficio, et*

seipsum medicina et remedio. Quam graves undique angustiae! Excipiuntur tamen praeter fer. 6. mai. hebd., feria etiam 6. ejusdem, et dies Sabbati S., in quibus, ait Lig. n. 350., omnino tenendum, quod non licet privatim celebrare ex Decretis S. R. C., confirmatis a Clem. XI. peculiari suo Decreto die 15 Mart. 1712, ac deinde etiam ab Innoc. XII.: quibus stantibus, non video (subdit idem Lig.), quomodo opinio contraria hodie sustineri possit.

190. Quamvis tamen teneantur ad celebrandum, possunt nihilominus, etsi aliunde divites, stipendium pro celebratione accipere, ut diximus l. 2. n. 99., et consuetudo obtinuit: nam olim quae a fidelibus offerebantur, non applicabantur Sacerdotibus, sed mittebantur in arcam, ut distribuerentur in sustentationem Ministrorum, et pauperum; at successu temporis tradita fuerunt ipsis Sacerdotibus, ut pro offerentibus Missas applicarent. Cum tamen exinde ortum esset ob Sacerdotum avaritiam, quod hi pluries in die celebrare coeperint, Innoc. III. id prohibuit C. *Consuluisti, de Cel. Miss.*: cui prohibitioni cum successisset, quod ex Sacerdotibus quidam in eadem Missa tot hostias consecrabant, quot erant eleemosynam offerentes; alii vero Missam diei legebant ter, vel quater usque ad Offertorium, deinde tot Secretas iterabant, quot orationes legerant, et tandem sub uno canone Missam perficiebant, tot repetitis collectis in fine, quot initio recitaverant; pro quo numero repetitionum accipiebant stipendia, vocabanturque hae Missae *Bifaciatae*, et *Trifaciatae*: his omnibus, tamquam sordidam, ac turpem avaritiam olentibus, pecu-

liaribus legibus Pontifices se opposuere; diris quoque tradendo propositiones illas ex eodem avaritiae fonte manatas, ut: *Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem; idque post Decretum Urbani VIII.* Et: *Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, et Sacrificium unum offerre; neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam cum juramento danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.* Et: *Post Decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missae celebrandae traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.* Quae omnes prop. proscriptae fuerunt ab Alexandro VII.

191. Potiora autem prae oculis habenda quoad hoc stipendium sunt 1.°, quod ex Decr. S. C. Conc. *sub die* 21. *Jun.* 1625., ab Urb. VIII., ac dein etiam ab Innoc. XII. Const. *Nuper* confirmatis, *eleemosynas manuales, et quotidianas ita demum Sacerdotes accipere possunt, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera suscipere valeant, alioquin omnino abstineant.* Cumque item quaesitum esset, an qui non satisfecerint oneribus susceptis, possent nova onera suscipere? Eadem S. C. declaravit, *posse, dummodo infra modicum tempus possint omnibus satisfacere.* Qua super re refert Ben. XIV. *Not.* 56. *n.* 14. Declarationem ejusdem S. C., qua dictum fuit, *modicum tempus non reputandum spatium duorum, vel trium mensium, sed intelligi infra mensem.* Cumque nulla distinctio facta fuerit a S. C. inter Mis-

sas pro vivis, illasque pro defunctis, concludendum proinde est, quod sive pro Defunctis, sive pro vivis sint, omnino satisfieri debent infra mensem, praeterquam si offerens eleemosinam consenserit in dilationem, ut eadem S. C. explicavit. Immo si Missa fuerit petita pro aliqua urgente gratia impetranda, pro felici partu ex. gr., pro evadendo periculo, pro lite vincenda, etc., certum est, peccare Sacerdotem, si illam celebrare omittat intra definitum tempus, quia tunc circumstantia temporis pertinet ad ipsam rei petitae substantiam: quo proinde transacto, tenetur etiam, ut Lig. docet, n. 317, stipendium restituere, etiamsi postea celebraverit, nec non eum, qui stipendium dedit, monere de celebratione opportuno tempore omissa.

II.° Quod cum Sacerdos se obligaverit de Missa celebranda sub stipendio vel accepto, vel etiam tantum oblato, tametsi levi, ex probabiliori tamen sententia, quam Lig. ibid. sequitur, graviter peccat, si illam celebrare omittat: quia gravitas materiae probabilius est hic mensuranda, non in ordine ad stipendium, sed ad fructum Missae, quo privatur eleemosynam tradens. Unicam vero Missam gratis promissam celebrare omittens, probabile censet, quod non peccet graviter, quia simplex promissio, ut diximus l. 2. n. 297., non obligat sub gravi, nisi promittens expresse sub gravi se obligaverit.

III.° Justum stipendium Missae non esse victum unius diei, ut Sot., et Caj. docuere, nam Sacerdos post Missam celebratam potest se in reliquo diei spatio occupare in concionando, docendo, aliisque si-

milibus exercitiis ipsi licitis, ut lucretur integram sustentationem; sed, ex Declar. S. C. Conc., *die* 15. *Nov.* 1698., *attendendam esse consuetudinem loci, vel legem Synodalem, quatenus adsit; sin minus, statuendam esse per Episcopum eleemosynam competentem ejus arbitrio.* Taxae autem Episcopi standum quoque esse ab ipsis Regularibus, idque sub gravi, eadem S. C. declaravit *sub die* 15. *Jan.* 1639., statuens: *Eleemosynam pro qualibet Missa per Regulares celebranda in eorum Ecclesiis, esse taxandam arbitrio Ordinarii juxta morem Regionis.* Quamvis vero ex Decl. ipsius S. C. *sub die* 16. *Jul.* 1689., bene possit Episcopus prohibere, et imponere poenam celebrantibus pro minori taxa, quia alias quodammodo vilesceret Missae Sacrificium: non potest tamen prohibere, ut eadem declaravit *die* 16. *Jan.* 1649., quod Sacerdos pinguius stipendium accipiat, si illud sponte offeratur. Quae omnia Decreta laudantur etiam a Ben. XIV. *Not.* 56. *n.* 10., *et* 11.. Decrevit demum ipsa S. C. jussu Urb. VIII., quod si Sacerdos acceptaverit *quantumcumque exiguum* stipendium ab uno, vel pluribus pro Missis celebrandis, *sub obtestatione Divini judicii absolute tot Missae celebrentur, quot ad rationem attributae eleemosynae praescriptae fuerint.* Quod tamen intelligendum, subdit Lig. n. 320., si scienter Sacerdos acceptaverit pro tali stipendio tot Missas celebrare; secus si ignoranter.

IV.° Quod Beneficiarius, et Capellanus tunc non tenentur applicare pro Fundatore, ac possunt aliud stipendium accipere, cum in fundatione Beneficii, vel Capellaniae expressum fuerit, non adesse obligatio-

nem applicandi pro Fundatore, ex Decreto S. C. Conc. *sub die* 13. *Jul.* 1630 ap. Lig. n. 324.: *Quando in fundatione Beneficii, seu Capellae expresse cautum est, non teneri celebrantem ad applicationem Sacrificii, eo casu poterit celebrans accipere novum stipendium, et unica Missa satisfacere obligationi Beneficii, seu Capellae, et item danti novum stipendium.* Secus dicendum, si in fundatione nihil fuerit expressum, ex Decr. ejusdem S. C. *sub die* 18. *Mart.* 1686., quo decisum fuit, teneri celebrantem applicare pro anima Testatoris, semper ac in fundatione nulla adjecta sit declaratio, ad cujus suffragium applicandum sit Sacrificium. Quod et declaratum fuit ab eadem S. C. *die* 6. *Febr.* 1627. de Capellanis *Confraternitatum, et Monialium, qui celebrant, ut Confratres, vel Moniales satisfaciant praecepto audiendi Missam.* Quae omnia Decreta videri etiam possunt apud Ben. XIV. *Not.* 56. *n.* 8. Nec Beneficiarius tamen, nec Capellanus tenentur Missas celebrare pro Beneficii, seu Capellaniae Fundatore tempore, quo capitale dotis assignatae sit otiosum, et infructiferum sine eorum culpa, ex Decr. ejusdem S. C. *die* 7. *Jun.* 1686., ac rursus *die* 8. *Aug.* 1705. Qua super re advertendum quoque cum Lig. n. 325., quod circa onera Missarum, et conditiones in fundatione appositas dari non potest praescriptio; tum quia primaeva fundatio majorem vim habet, quam consuetudo; tum quia in Beneficiariis difficulter praesumi potest bona fides ad praescriptionem requisita, cum potius praesumendum sit, quod bene cognoverint Beneficii onera, et leges; tum denique, quia in Trid. *sess.* 25. *de Ref.* c. 5.

sic sancitum fuit : *Quando igitur ex Beneficiorum quorumcumque erectione, seu fundatione, aut aliis constitutionibus qualitates aliquae requiruntur, seu certa illis onera sunt injuncta in Beneficiorum collatione, seu in quacumque alia dispositione, eis non derogetur.* Accedit autem Bulla Innoc. XII. *Apostolici Ministerii*, ac Ben. XIII. *In Supremo*, quibus dictum fuit, quod quaecumque praescriptio, etiam centenaria, et immemorabilis, non datur contra ea, quae in Trid. praescripta sunt.

V.° **Quod relictis a Testatore Missis, non taxato stipendio, tribuendum istud est juxta taxam consuetam : quae si desit, taxandum est ab Episcopo juxta** morem loci, ex Declar. S. C. Conc. **Sacerdos autem,** qui promiserit haeredi quam cito celebrare Missas pro textatore defuncto, credito **stipendio, tenetur ex Lig.** n. 320. ut fidem servet, **celebrare ante stipendii solutionem.**

VI.° Demum et Urb. **VIII., et Innoc. XII., et novissime Ben. XIV. Epist. Encyclica, quae incipit** ***Quanta cura*** **severe prohibuerunt, ne Sacerdos Missam alteri, parte ejusdem eleemosynae sibi retenta, celebrandam committat. Id vero si faciat, non solum graviter peccat, sed 1.° ipso facto incidit quoque in suspensionem, si Clericus, et in excommunicationem, si Laicus, ex relata Encycl. Ben. XIV., a quibus censuris excusat sola ignorantia invincibilis; estque tam suspensio, quam excommunicatio Pontifici reservata, reservatione caeterum generali. 2.° tenetur quoque ad restitutionem stipendii sibi retenti, tum quia ita deducitur ex prop. damnata, ac relata n. 189.;**

cum enim falsum sit, posse Sacerdotem *per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta*; vera dicenda est prop. contradictoria, quod nempe non satisfaciat. Cumque satisfactio, non solum respiciat honestatem actus, sed etiam justitiam; ipsam igitur justitiam laedit, ideoque tenetur ad restitutionem. Tum quia non aliter Sacerdos eleemosynam accipiens acquirit ejus dominium, nisi juxta voluntatem dantis. Voluntas autem dantis est, non solum ut Missa celebretur, sed ut celebretur tali stipendio. Hinc restitutio facienda etiam est ex Lig. num. 322. Sacerdoti celebranti; quia translato in eum onere, etiam jus ad integrum stipendium juxta voluntatem Domini transfertur, quod nempe Missa pro eo applicanda tali stipendio celebretur. Sub praedicta autem prohibitione cadere etiam dicendum est Procuratorem, vel Executorem Testamenti, qui faciat celebrare Missas sibi commissas, ubi minor est taxa, ut sibi excessum retineat, qui profecto excessus esset aeque turpis quaestus, et absque ullo titulo retineretur. Sacerdos vero colligens eleemosynas pro celebrandis Missis, quae ipsi tradantur, ut ab aliis celebrari faciat, non improbabiliter ex Lig. l. c. posset moderatam mercedem retinere juxta rationem sui laboris, si ad hoc munus sit destinatus, ejusque labor vere mercedem mereatur; tunc enim ejusmodi merces ex naturali aequitate illi deberetur, et ex voluntate ipsorum eleemosynas offerentium. Pontifex autem censetur eos tantum damnare voluisse, qui ex industria eleemosynas colligunt, ut ex eis turpem faciant quaestum.

192. Ab hac tamen prohibitione excipi debet 1.° casus, quo aliquis daret majorem illam stipem, non tam intuitu Missae, quam amicitiae, paupertatis, gratitudinis, propinquitatis, etc.; potest enim tunc Sacerdos excessum retinere, committendo alteri Missae celebrationem: idque ex Lig n. 321., etsi dans eleemosinam hunc suum specialem affectum verbis non expresserit, modo ex circumstantiis moraliter constet. 2.° Beneficiarius, qui bene potest committere alteri Sacerdoti celebrationem Missae debitam pro Beneficio, tradito stipendio congruo juxta morem loci, et retento excessu: idque ex Decr. S. C. approbato ab Innoc. XII. in sua Bulla *Nuper*, ubi dictum fuit, *satis esse, ut Rector Beneficii, qui potest Missam per alium celebrare, tribuat Sacerdoti celebranti eleemosynam congruam, secundum morem Civitatis, et Provinciae, nisi in fundatione Beneficii aliud cautum fuerit*. Quod et dicendum, ex Decr. ipsius S. C. *sub die* 15 *Martii* 1745., quod scribit Lig. ibid. ipsummet observasse, ubi dictum fuit, id licere, *modo pro Capellania certi reditus sint annuatim constituti, et perpetuo Capellano assignati*; *secus vero, si hujusmodi Capellano pro qualibet Missa celebranda certa detur eleemosyna*. Idemque, subdit, licere illi, cui commissa est celebratio Missae perpetuae; vel celebratio ex pingui legato, ad vitam ipsi relicto cum onere Missarum. Quorum omnium ratio est, quia Decreta prohibentia retinere partem stipendii loquuntur tantum de Missis manualibus. Excipit 3.° Cont. Tourn. casum, quo Sacerdos, cui committitur celebratio, liberaliter, et omnino sponte condonet excessum illum;

sicut enim potest totum remittere, sic et partem. Hoc tamen, ut docet Lig. l. c., minime admittendum, si tu indices majus pretium acceptum, et Sacerdotem roges, ut remittat; vel ab eo quaeras, an consentiat, ut tu partem retineas, et ille annuat; hoc namque dicitur a Ben. XIV. in praefata Encyclica execrabilis abusus a Pontificibus vetitus, qui *decretum voluerunt nimirum, a quolibet Sacerdote, stipendio majoris pretii pro celebratione Missae accepto, non posse alteri stipendium minoris pretii erogari, etsi eidem Sacerdoti celebranti, et consentienti se majoris pretii eleemosynam accepisse indicasset.*

193. Advertit demum ibidem hac super re Lig., quod si tradatur eleemosyna pinguior Sacerdoti singularis pietatis fama praedito, hic nec etiam tradito eodem stipendio poterit alteri committere Missam, nisi similis probitatis habeatur, vel nisi causa aliqua excuset. Quod faciens, non facile quidem, ut subdit, damnandus esset de mortali; sed bene posset aliquando accidere, aliquem graviter ferre, quod Missa per alium celebretur, et tunc erit mortale. Sicut etiam ex Decr. S. C. Conc. confirmato ab Innoc. XII., *permittendum non esse, ut loca pia, sive illorum Administratores ex eleemosynis Missarum celebrandarum ullam minimam portionem retineant ratione expensarum in Missarum celebratione, nisi alios non habeant redditus; et tunc nullatenus debere excedere valorem expensarum, quae pro ipsomet tantum Missae Sacrificio necessario sunt subeundae.* Nec non num. 322. cum Ben. XIV. *Notif.* 56. *n.* 13., ex alio Decreto ejusdem S. C., *Archipresbyterum non teneri ad ministran-*

da utensilia iis, qui celebrant in sua Ecclesia ex obligatione Beneficii, sive Capellaniae. Quoad Missas vero adventitias teneri ad dictam subministrationem, quatenus permittat eas in sua Ecclesia celebrari; nec teneri ad has Missas adventitias admittendas, nisi solutis utensilibus per celebrantes.

194. An autem in Missis, quae celebrandae sint ex obligatione Beneficii, vel Capellaniae, possit fieri mutatio quoad locum, vel reductio quoad numerum, commune est quoad 1.^m^ apud DD., quod Beneficiarius, vel Capellanus celebrans in alia Ecclesia, vel Altari, vel hora quam a fundatore est constitutum, idque saepe, aut sine causa, aut sine dispensatione, peccat mortaliter, si fundator id constituerit ob gravem causam. Diximus *saepe*, nam ex Lig. n. 329. peccabit tantum venialiter, si id faciat *raro*, puta semel, vel bis in mense; eoque magis, si Altare tantum mutet, non vero Ecclesiam. *Sine causa*, ex eodem namque minime peccabit, si celebret alibi ex justa causa, puta si Altare sit execratum, vel quia egressus e Sacristia viderit illud ab alio occupatum. *Sine dispensatione*, pro qua ex pluribus Decr. S. C. Conc. ap. Ferraris *V. Capellania n.* 14. adeundam semper esse Sedem Apostolicam, docet Lig. l. c., eamque idcirco dari non posse ab Episcopo, consequens est. Immo refert Ferraris, l. c. quod ex Decr. S. C. Conc. *die* 18. *Aug.* 1703. neque etiam Nuncius Apostolicus concedere potest Indultum, quod Missae celebrandae in loco a Testatore designato alibi celebrentur. Nisi tamen exprimatur, ut docet Lig. n. 330., in institutione Capellaniae, vel Beneficii, quod Capellanus, vel Beneficiarius *per seip-*

sum celebret, bene; ac semper uterque potest per alium celebrare, ex Decl. S. C. ap. Pitton. *sub die 17 Sept.* 1683. Hactenus de Missis celebrandis ex obligatione Beneficii, vel Capellaniae. Stipendio autem accepto pro celebranda Missa in Altari privilegiato, quae postea in alio Altari celebraretur, non teneretur Sacerdos ex Lig. n. 329. ad restitutionem stipendii, sed tantum ad lucrandam aequivalentem, ac certam Indulgentiam applicabilem pro Defunctis: addens tamen ex Ronc., non adesse quidem obligationem restituendi; si eleemosyna data sit ordinaria, secus, si pinguis.

195. Quoad alterum vero, Missarum nempe reductionem quoad numerum, haec hodie a Sede tantum Apostolica fieri potest, ex Decr. S. C. Conc. jussu Urbani VIII., et confirmato ab Innoc. XII., tenoris sequentis: *Districte prohibet, ne Episcopi in Dioecesana Synodo, aut Generales in Capitulis Generalibus, vel aliis quoquo modo reducant onera ulla Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis; sed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, aut commutandis ad Apostolicam Sedem recurratur, ec. Alioquin reductiones, moderationes, et commutationes hujusmodi, si quas contra hujus formam fieri contigerit, omnino nullas, et inanes decernit.* Episcopis autem haec facultas inest 1.°, ut explicat idem Decr., ubi agatur de Missis ante Trid. relictis, et non impositis in limine fundationis, ex ipso Trid. *sess.* 25. *c.* 4. 2.° ubi Testator expresse hanc ipsis dederit facultatem. 3.°, ut ex Fagn. docet Lig. n. 331., et l. 1. *app. de Priv.* §. *LXX.*, casu,

quo ab initio redditus fuerint sufficientes, et deinde taliter imminuti fuerint, ut nullo modo sufficiant; tunc enim, ait, non videri ablatam facultatem, quam habent Episcopi de jure communi Missas moderandi, vel commutandi, ex c. *Nos quidem de Testam.*, et ex Trid. *sess.* 25. *c.* 4., ubi conceditur Episcopis, ut una cum haerede, vel executore possint ultimas voluntates in alium pium usum commutare in casibus, de quibus diximus l. 2. n. 374.

196. Capellanus vero, si redditus Capellaniae omnino deficiant sine ipsius culpa, certum est non teneri ad Missarum celebrationem, ut diximus n. 190. §. IV. Quod si redditus deficiant in parte, certum quoque videtur, ait Lig. n. 331., posse Capellanum minuere Missas casu, quo Testator congruam elemosynam designaverit, v. g. tarenum pro quavis Missa; sicut enim in hoc casu augendus esset numerus Missarum, si redditus augerentur, ita minuendus est, si diminuantur. Casu tamen, quo Testator designaverit numerum Missarum, pro quibus desit stipendium adhuc ordinarium, docent quidem non pauci, omnino recurrendum esse pro moderatione ad Sedem Apostolicam, tum ex Decr. suprà allato, tum ex alio, quo sancitum fuit: *Etsi legatum sit adeo tenue, ut non sit, qui velit onus illi injunctum subire, nihilominus pro reductione oneris, ab iis, ad quos pertinet, Sedem Apostolicam esse adeundam.* Probabile tamen putant alii, quod ipse Capellanus id possit, cum recte praesumatur, non fuisse Testatoris mentem, ut gratis, aut stipe justo minori coactus fuisset Capellanus ad celebrandum, vel ad supplendum stipendium ex pro-

priis bonis, si voluisset per alium celebrare, alioquin ejus voluntas fuisset injusta, nec proinde servanda. Addens tamen Ronc., quod cum in hoc facile intervenire posset periculum hallucinationis, recurrendum saltem esset ad judicium Episcopi, vel viri docti, et pii, qui non auctoritative, sed tamquam justus Arbiter Missarum numerum moderetur. Ad praefata autem Decreta respondetur, quod in tali casu non fieret proprie reductio, vel moderatio stabilis, quam Sedes Apostolica sibi reservavit, sed obligatio ipsa cessaret ob redditus deficientes; Decreta enim loquuntur juxta mentem Trid., *sess.* 25. *c.* 4. *De Reform.*, ubi sermo est, non jam de redditibus diminutis, sed de tenui eleemosyna ab initio designata pro Missis, quas non facile reperiatur, qui velit celebrare, et de illis, re integra, ob tenuitatem stipendii, vel paucitatem Sacerdotum fieri vellet reductio. Porro an haec opinio sit probabilis, ait Lig. loc. cit., Judicio sapientiorum remitto: subjungens, quod si admittatur, omnino tamen servandum esset, quod si Capellanus per annos praeteritos acceperit stipendium majus solito, tenetur compensare, eumdem Missarum numerum celebrando, qui enim antea stetit commodo, stare deinde debet incommodo. Nec reductio tamen, nec moderatio vetita fieret a Capellano, qui brevi aegrotatus, alteri interim non dederit stipendium, ut Missas celebraret, ad id enim non teneri, commune est, si infirmitas sit brevis; nisi Fundator voluerit, non deficere Missam in tali loco, etc. Brevem autem infirmitatem alii dicunt 15. dierum, ex Decl. S. C. Conc. *die* 17. *Nov.* 1695., qua dictum fuit, non te-

neri Capellanum per alium supplere, tempore infirmitatis non excendentis 15. dies. Alii illam extendunt ad mensem, ex Conc. Mediol. 7. *tit. de Miss.*, ubi: *Si Capellanus saltem per annum celebravit in aliquo loco, si etiam per mensem aegrotet, adhuc integram eleemosynam judicio Episcopi accipere potest.* Alii demum extendunt etiam ad duos menses: quae omnes opiniones ex Lig. n. 333. videntur esse probabiles.

197. Agendum demum est, quemadmodum in hujus capitis titulo proposuimus, de Missarum applicatione quoad fructum in eorum beneficium, qui eleemosynam obtulerint. Circa quam sciendum 1.°, quod solus Sacerdos offerens valide id facit, cum sit actus potestatis Sacerdotalis. Cum tamen consecratio, ut diximus n. 183., constituat juxta sententiam communiorem Sacrificii essentiam, omnibusque fatentibus sit saltem principalis Sacrificii pars, hinc 1.°, ut recte fiat, fieri debet vel ante, vel saltem in ipsa consecratione, adeo ut Sacrificium, quod neque formaliter, neque virtualiter vel ante, vel in ipsa consecratione ulli applicatum fuerit, non potest postea ulli applicari: ac 2.° fieri debet in beneficium personae determinatae, ejus namque applicationem factam pro primo offerente, declaravit Clemens VIII., et postea etiam Paulus V. *die 15. Nov. 1607.*, esse *pluribus nominibus periculosam, fidelium scandalis obnoxiam, atque à vetusto Ecclesiae more nimium aberrantem.* Et sane cum ejus applicatio se habeat ad instar donationis, quomodonam valida, nisi determinata? An autem recte applicet, qui accepto stipendio a decem personis pro decem Missis, applicet pro iis in con-

fuso primas decem Missas, quas celebraturus erit, distinguendum, respondet Lig. n. 335. Si enim singula Sacrificia applicet pro singulis indeterminate, non satisfacit, cum enim ad hoc requiratur intentio applicandi fructum personae determinatae, sicut proinde non consecraret qui decies proferret formam consecrationis super decem hostiis cum intentione consecrandi unaquaque forma unam ex iis hostiis in confuso, ita nec qui applicet decem Missas indeterminate. Si vero unamquamque Missam applicare intenderet omnibus illis decem personis, singulis applicando decimam partem uniuscujusque Missae, bene satisfacit, cum nemo dubitet, quin fructus Sacrificii sit divisibilis, ex quo sequitur, quod cum unusquisque e singulis Missis decimam fructus partem percipiat, in celebratione decimae Missae totum, qui ei debebatur, fructum percipit. Ex eo autem, quod Missae applicatio se habeat, ut diximus, ad instar donationis, sequitur etiam, quod ad ejus applicationem sufficit intentio habitualis, idest aliquando habita, et non revocata; cum enim se habeat per modum donationis, hinc semel facta, valet donec expresse revocetur. Nec facessit, quod sicut ad conscerandum requiritur Ministri intentio actualis, vel saltem virtualis, sic etiam ad fructum Missae applicandum. Ideo enim, respondet Lig. l. c., requiritur in conficiendis Sacramentis intentio saltem virtualis, quia intentio efficit Sacramentum: in applicatione tamen Missae intentio illius fructum non efficit, cum adhuc sine ejus applicatione ex se fructum producat, sed tantum de eo disponit, ad quod sufficit applicatio aliquando fa-

cta. Atque heic loci bene est cum eodem Lig. n. 336. monere, quod in praxi cum dubitatur, an is, pro quo offertur, sit, necne capax fructus, consultum est in Missis gratuitis illas applicare vel nobis ipsis, vel alteri sub conditione, si persona, cui applicantur, non sit capax: in Missis vero debitis ex stipendio, quia probabiliter fructus cedit in beneficium propinquorum offerentis ex ejus implicita voluntate, ideo tunc non possumus, cui volumus, fructum applicare, nisi sub conditione, ut praejudicium non fiat illi, cui Missae applicationem debemus. Sicut etiam, quod applicatio sub conditione jam impleta de praeterito, vel de praesenti, est valida; non autem sub conditione de futuro, ad quod necesse esset, ut advertit n. 337., quod Missae fructus suspensus remaneret, quod non videtur credibile.

198. Praeter applicationem autem, quae fit de Missae fructu, fieri etiam potest, dum celebratur in Altari privilegiato pro Defunctis applicatio Indulgentiae, vi cujus anima, pro qua Missa applicatur, a Purgatorii poenis liberetur. Ad id tamen, ut advertit Lig. n. 339., requiritur 1.°, quod in festis semiduplicibus, in quibus dici possunt Missae *de Requiem*, omnino dicatur Missa *de Requiem*, alias non acquiritur Indulgentia. In duplicibus vero, vel aliis anni diebus, in quibus non licent Missae *de Requiem*, Missa de festo currente eamdem habet Indulgentiam, quam Missa *de Requiem*, ex Decr. Alex. VII., Inn. XI., et Clem. XI. 2.° ut in Ecclesia, ubi concessum est Altare privilegiatum, celebrentur quotidie septem, vel quinque Missae juxta clausulam, quae in Indultis ap-

poni solet, ex Decr. S. C. Conc. *sub die* 11. *Sept.* 1694., et adprobato ab Innoc. XI., quo dictum fuit, *celebrationem Missarum Indultis praefatis praefinitarum omnino necessariam esse singulis diebus in eadem Ecclesia.* Declaravit tamen eadem S. C. *die* 30. *Jul.* 1706., quod pro tempore, quo Religiosi, vel Sacerdotes saeculares per aliquot dies, vel menses propter absentiam non celebrant praefinitas Missas, Indulgentiae non amittuntur, sed pro illo tempore suspenduntur. Sicut etiam, quod si Missae non celebrentur ob Sacerdotum infirmitatem, vel quia Religiosi occasione festivitatis, vel funerum alibi celebrare debeant ex jussu Praelati, si raro id fiat, Indulgentiae etiam suffragantur. Indulsit autem Clem. XIII. *die* 19. *Maji* 1719. omnibus Ecclesiis Parochialibus Altare privilegiatum quotidianum ad septennium; quo expleto, praecepit omnibus Episcopis, Abbatibus, ac Vicariis Capitularibus, Confirmationem ejusdem privilegii pro suis Paroeciis ad septennium petere. Et Ben. XIII. absque ulla clausula celebrationis Missarum concessit suo Brevi sub die 20. Aug. 1724. omnibus Episcopalibus Ecclesiis, ut unum Altare per Superiorem eligendum habeat Indulgentiam Altaris privilegiati singulis diebus, et in perpetuum, quam lucrari possint Sacerdotes Saeculares, et Regulares Sacrificium pro Defunctis offerentes, dummodo in illis Ecclesiis alia non sit similis Indulgentia.

CAPUT X.

De requisitis praeter gratiae statum, ut Missae Sacrificium rite celebretur.

199. Et 1.° quod celebretur in Ecclesia, eaque consecrata, vel saltem benedicta, et non violata, vel execrata, vel interdicta, *ex Trid. sess.* 22. *in Decr.* De Episcopi tamen licentia, semper ac peti possit, licet in decenti loco, et in altari portatili, quod semper sub mortali requiritur, celebrare in sequentibus casibus, extra quos si fiat, est mortale ex communi: 1.° si Ecclesiae dirutae sint, et alias populus careret Missa, ex C. *Conceditur De Consecr. Dist.* 1. . 2.° Si populum in solemni Festo Templum non capiat, ut et docet Ben. XIV. *De Sacr. Miss. l.* 3. *c.* 6. : 3.° In castris pro exercitu, sed festis tantum diebus. 4.° positis, quae diximus l. 1. n. 136., et 137. Cum facultate autem obtenta a Pontifice; licet quoque celebrare in Oratoriis privatis, de quibus diximus l. 2. n. 146.: Sicut etiam in mari, ob concessionem Clem. VIII., et Pauli V., ac deinde etiam ob Indultum Clem. XI., ut refert Ben. XIV. *De Sacr. Miss. l.* 3. *c.* 5. Equitibus Hierosolymitanis ann. 1706., sub his tamen conditionibus: 1.°, ut adsit longa distantia a littore. 2.°, ut mare sit tranquillum. 3.°, ut assistat alius Sacerdos, vel Diaconus, qui, si quis concitetur motus, Calicem firmum teneat. Privilegia autem aliquorum Regularium utendi Altari portatili, in eoque celebrandi in domibus privatis, in quibus ma-

neant, declaravit Clem. XI. die 15. Dec. 1663., ac deinde etiam Ben. XIV. Bulla *Magno*, quod revocata fuerunt per Trid.: ac prius mandaverat quoque Inn. XIII. Bulla *Apostolici Ministerii*, ut Episcopi prohiberent, *ne in privatis Regularium Cellis, seu cubiculis erigatur Altare pro re Sacra facienda, remota quacumque in contrarium consuetudine*. Quae omnia ex Lig. n. 356., et 360.

220. Quot autem modis Ecclesia violetur, diximus, l. 2. n. 94.: qua violata, non licet in ea sub gravi peccato celebrare, praeterquam 1.° in necessitate, qualis et esset ex Lig. n. 361., si populus aliam non habeat Ecclesiam ad Missam audiendam, petita tamen Episcopi venia, si adiri possit, alioquin etiam sine ea. 2.° Si polluatur, incoepto canone, in quo casu Sacerdos Missam prosequi deberet. Quo loci obiter quoque advertendum cum Lig. l. c., quod in Ecclesia violata nec etiam licet, nisi in necessitate, mortuos sepelire. Scienter autem celebrans in Ecclesia violata lethaliter quidem peccat, ut diximus, quia praeceptum in gravissima Religionis materia transgreditur; nullam tamen incurrit poenam, ut cum sententia probabiliori, ac duce etiam Ben. XIV. docet Lig. l. c., sive irregularitatis, quia haec nullo jure contra peccatum istud decreta est, sive suspensionis ab ingressu Ecclesiae; nam c. 8. *de priv. in* 6., cui aliqui ex adverso innituntur, non loquitur de celebrantibus in loco violato, sed interdicto; quae duo differunt. Qua super re advertendum etiam 1.° cum Colet, quod *Oratoria domestica praedictae violationi non subjacent*, *etiamsi auctoritate Episcopi ad Sacrorum celebrationem de-*

signata fuerint; *quia jura de Ecclesiis, et locis publicis loquuntur, et odia restringi convenit* (*Tr. de Euch. p.* 2. *c.* 9. §. *V. in fine.*). 2.° cum Lig. n. 368., quod polluta Ecclesia, polluitur etiam Coemeterium, sed non contra: quodque polluta Ecclesia, polluta etiam sunt altaria ejus fixa. 3.° cum eodem Lig. n. 363., quod Ecclesia violata non reconciliatur per celebrationem, tum quia id nullo jure nititur; tum quia secus Sacerdos mala fide celebrans in Ecclesia violata, censendus esset eam reconciliare; tum quia si Episcopus dispenset ad tempus, ut in Ecclesia violata celebratur (quod ob causam necessariam fieri posse, commune est apud DD.), tempore elapso Ecclesia nihilominus reconcilianda erit. Reconciliari autem debet, si consecrata, ab Episcopo; sique Ecclesia sit Regularium, ab ejus etiam Superiore, ex privilegio, modo adhibeatur aqua benedicta ab Episcopo, vel ab ipso Superiore, si Episcopus distet duabus dietis. Si vero sit tantum benedicta, reconciliari potest a quocumque Sacerdote. Debet tamen praecedere delegatio Episcopi, ex Rit. Rom. *tit. de benedict.*: sed ut notat Lig. n. 363., negat id Ben. XIV. *l.* 3. *de Syn. c.* 15. *n.* 2., ubi: *Si Ecclesia simpliciter benedicta fuerit, tunc idem Greg. IX. in c. Si Ecclesia, De Consecr. statuit, nulla praeobtenta delegatione, per simplicem Sacerdotem, adhibita aqua benedicta, quam sanctam, sive lustralem vocant, posse Ecclesiam pollutam reconciliari.* Haec de Ecclesia violata. Eadem vero execratur per ejus destructionem ex toto, vel majori parte parietum, vel crustae; non autem, si solum tectum, vel si successive per partes modicas de-

struatur, et reficiatur, etsi Ecclesia tota renovetur. Idque procedit, ut advertit Lig. l. c., etiamsi adsit animus totam Ecclesiam destruendi, quia intentio illa non obstat, quin consecratio perduret, ac majus dignum trahat ad se minus dignum. Demum de interdicto locali dicetur suo loco.

201. Requiritur 2.°, quod celebretur in Altari consecrato, idque, ut diximus, sub mortali: ad cujus consecrationem sufficere, quod in eo celebratum fuerit, nullo jure nititur: atque ad eam omnino requiri Reliquias SS., probat Lig. n. 369. ex Decretis S. R. C., quibus declaratum fuit execratum Altare, a quo removentur Reliquiae, vel cujus frangitur sepulchrum Reliquiarum: quod et clarius declaratum fuit alio Decreto 19. *Jan.* 1614., quo dictum fuit, permitti altare portatile ligneum, *dummodo habeat Reliquiarum repositorium.* Ubi etiam idem Lig. obiter notat, quod ex alio Decr. S. C. sub die 10. Nov. 1509., *si sub Altari, vel sub ejus gradibus humata fuerint Defunctorum cadavera, non est illic celebranda Missa, donec alio transferantur.* Quod tamen, subdit, non videri prohibitum, si cadavera sint humata profunde in cella aliqua, sub alto fornice constructa. Duplicis autem generis Altare esse potest: aliud *fixum*, estque mensa totaliter consecrata, suisque fulcimentis fixe superposita; atque hujus generis Altare execratur, nec proinde in eo licet amplius celebrare, si motum e suo loco fuerit sine fulcimentis, quibus fixe inhaeret: aliud *mobile*, seu *portatile*, quod consistit in simplici tabula lapidea, eaque angustiore: atque hoc non execratur, etiamsi a ligno, vel a fabrica, in quo inclu-

sum est, separetur. Utrumque autem execratur per enormem, seu notabilem effractionem, ex *C. Quod in Dubiis, de Consecr.*; cujusmodi effractio censetur ex Lig. l. c., si Calix cum hostia in nullà parte confracti lapidis reponi possit, tametsi calce, aut alio modo partes coadunentur.

202. Addendum porro, quod Altare 1.° coopertum esse debet tribus mappis ex lino, vel etiam ex cannabe, ut probabilius de ipso corporali, et palla docet Lig. n. 375., quia cannabe, et linum juxta communem usum indifferenter sumuntur; quorum una juxta Rubr. debet esse oblonga, et usque ad terram pertingens, quod tamen hodie non est in usu, duabus aliis brevioribus, vel una duplicata: sine quibus omnino, idest sine ulla mappa celebrare, non excusaretur ex Lig. l. c. a mortali, nisi fieret ex gravi necessitate celebrandi; cum duabus vero, vel una tantum, certum est culpam esse, quia in Rubr. jubentur; et in eadem *tit. de def.* §. 10. *n.* 4. pro defectu asseritur, *si Altare non sit tribus mappis ornatum*; probabiliter tamen ex eod. culpam venialem non excedit. An vero esse debeant benedictae, non est quidem improbabile, quod non sit necessarium, ut docent Suar., Laym., Wigant, aliique: probabilius tamen affirmat Lig., tum quia in Rubrica praescribitur, tum quia in eadem *tit. de def.* §. 10. *num.* 4. numeratur inter defectus mappas non benedictas adhibere. Cujus tamen benedictionis defectus probabiliter ex eodem esset tantum veniale, et in necessitate etiam licitum uti mappis non benedictis; puta, ait Escob., si sit dies festus,

et nequeant benedictae haberi: sed minorem causam, subdit Lig., sentio excusare, cum ad excusandum a veniali sufficiat quaevis causa rationabilis. 2:° eminere in eo debet Crux cum Crucifixo, ex Decr. S. R. C.; idque etiam in Altari, in quo expositum sit Ven. Sacramentum, ex eodem Decr. Alia tamen Crux cum Crucifixo non est necessaria, cum in Altari adest magna statua SS. Crucifixi, ex alio Decr. ejusdem S. C.; immo vel etiam Imago Crucifixi depicta, ex alio ejusdem S. C. Decr. apud Ben. XIV. in Const. *Accepimus*. Sicut etiam necesse non est, ut sit benedicta, ex alio Decr. ejusd. S. C.; quod et dicendum de omnibus Imaginibus, ut Lig. advertit n. 393., in Altari collocandis, quae possunt, sed non debent necessario benedici. Defectus autem Crucis cum Crucifixo non est mortale ex eodem Lig. l. c. cum Suar., Tourn., Habert, et Conc.: non posse tamen ejus defectum excusari a veniali, idem probat ex Decr. Ben. XIV., quo cautum fuit: *Ut nullo modo fiat Sacrificium, nisi Crucifixus inter candelabra ita promineat, ut Sacerdos, et populus Crucifixum commode, et facile intueri possit; et imago non sit ita tenuis, et exigua, ut ipsius Sacerdotis, et populi oculos pene effugiat.* 3.° ardere debent super Altare duo lumina ex cera; sine quibus omnino, idest sine ullo lumine celebrare, certum apud omnes est, quod esset mortale, ex *c. Literas ult. de cel. Miss.*, idque etiamsi urgeat necessitas ministrandi Viaticum, ut commune quoque est apud omnes, ex Lig. n. 394: ex quo idem infert, quod si ante consecrationem deficiat lumen, omnino desistendum est a celebratione,

secus si post consecrationem. Celebrare autem cum uno tantum lumine cereo probabilius, et communius dicit n. 394., esse solum veniale, atque ab hoc quamcumque causam rationabilem, adhuc solae devotionis, secluso scandalo, excusare. Sicut etiam probabilius dicit, lumina non debere extingui, nisi post S. Joannis Evangelium, ex Rubr.; addens simul, quod non debet angi Sacerdos, si dum ipse illud legit, minister candelas extinguit. An autem liceat celebrare cum candelis ex sebo, vel oleo, commune quoque est ex eodem Lig. l. c., id esse mortale, quia talis usus est indecentissimus, et prorsus alienus ab universali Ecclesiae consuetudine. Ut tamen idem subdit, praeeuntibus prae aliis Wigandt, Tourn., ac Sporerio, probabiliter licet celebrare cum sebo, vel oleo in necessitate, modo absit scandalum. Reprobans simul, non esse illicitum cum id genus luminibus celebrare ex sola devotione, cum sola devotio non videatur causa gravis sufficiens ad excusandum a mortali. Ubi demum advertit, non licere, nec etiam Vicariis Generalibus, celebrare cum quatuor candelis, ex Declar. S. C. *die* 7. *Aug.* 1627.; ac tantum licitum esse Cardinalibus, Episcopis, et Abbatibus usum Pontificalium habentibus; tum solum tamen, cum in Pontificalibus celebrant, ex Decr. ejusdem S. C. *die* 9. *Febr.* 1675. *ap. Ben. XIV. Not.* 29. *n.* 16. Quod tamen intelligendum, si celebretur cum quatuor candelis ad auctoritatis, vel dignitatis ostensionem; non vero si Altare ex alia causa ita sit paratum.

203. Requiritur 3.° *calix aureus, vel argenteus, vel qui saltem habeat cuppam argenteam intus inaura,*

tam, *et simul cum patena itidem inaurata*. Ita ex Rubr. *tit.* 1. *de Praep.* Quae pro Ecclesiis pauperibus addit *tit. De Defect. tit.* 10. *n.* 1. quod *Calicis cuppa debet esse aurea*, *vel argentea*, *vel stannea*, *non aerea*, *vel vitrea*: ac praeterea requiruntur vestes decentes, nec non quod tam calix, et patena, quam vestes adhibendae sint ad Sacrificium deputata, per consecrationem quoad calicem, et patenam, per benedictionem quoad vestes, vel ab Episcopo, qui nec vestes benedicendi facultatem potest aliis delegare, ex Lig. n. 378.; vel a Sacerdote privilegium habente: quibus idcirco ad usus profanos deinde uti, mortale esse, idem docet n. 376. ex *c.* 39., *et* 43. *de Consecr. Dist.* 1. An autem per celebrationem remaneant consecrata, et benedicta, licet quidam affirment praesertim de calice, et patena, quia aspersio, ut inquiunt, Sanguinis Christi, in quo omnia mundantur, ejusque Corporis contactus majorem efficaciam habet ad sanctificandum, quam ulla Ecclesiae oratio, et benedictio; nullatenus tamen recedendum esse, docet idem Lig. n. 380. a sententia, quae id negat, tum quia aliud est rem sacrari, aliud ad Sacrificium deputari, quod oportet, quodque tantum fit per benedictionem; tum quia omnino negari potest, quod per contactum Ven. Sacramenti res remaneant consecratae, alias dicendum esset, quod pavimentum, in quod casu decideret, remaneret sacratum. Addendum quoque quoad vestes, debere esse ex Rubr. *coloris convenientis Officio, et Missae diei*, *secundum usum Rom. Ecclesiae* (*p.* 1. *tit.* 18. *n.* 1.). Cumque omnes Rubricae agentes de rebus, quae Missam concomitantur, sint praeceptivae, hinc

vestium colorem esse etiam de praecepto, consequens est; eo magis ob illa verba, quod talis est *Rom. Ecclesiae usus*. De praecepto tamen non gravi, sed levi, nisi adesset scandalum, ut si in die Paschatis ex. gr. celebraretur nigris paramentis, etc. Cumque omnis causa rationabilis a levi praecepto excuset, hinc Lig. n. 378. docet, et ab eo excusare concursum Sacerdotum, quibus non sufficerent vestes debiti coloris; et satius esse, quocumque die Sacrum facere in quolibet colore, quam illud omittere. Porro et calix amittere potest consecrationem, et vestes benedictionem. Et 1.° calix execratur, si notabiliter frangatur. 2. si fiat inutilis ad usum Sacrificii, ob foramen ex. gr. in fundo, licet exilissimum. 3.° si ita formam perdat, ut ejus partes sine novo artificio jungi nequeant. 4.° si de novo inauretur, ut melius, re perpensa, novissime docuit Lig. n. 370., tum quia ob novam inaurationem esset absque consecratione superficies calicis, quae immediate Christi Corpus tangit, tum quia, ut testantur Barbosa, aliique, talis est praxis Ecclesiae, et recepta consuetudo, calices nempe denuo consecrandi, cum denuo inaurantur. Casu tamen, ut subdit, quo per longum usum inauratio pereat, probabilius dicendum ait cum Sylvio, et Ferraris, non requiri novam consecrationem ad celebrandum cum hujusmodi calice; quia licet unctio non fiat, nisi in superficie, tamen tota moles calicis consecratur; et patet, quia si calix non sit tornatilis, et ejus pes frangatur, etiamsi cuppa integra maneat, calix restat execratus ex communi; ex quo sequitur, quod non in sola superficie consistit consecratio, sed in toto ca-

lice. Reliqua vero ornamenta Sacerdotalia, sicut et corporalia, et pallae amittunt benedictionem per fractionem, et immutationem, quae vel ea reddat inutilia ad usum, vel pristinam eorum formam tollat; ex quo sequitur, ut advertit Lig. n. 371., quod si albae manica dissuatur, licet mox denuo consuenda, eam amittit. An autem purificatorium, velum, et bursa benedictione egeant, probabilius id negat Lig. n. 389., cum enim nulla pro iis extet benedictio, consequens est, quod non sint necessario benedicenda: ex quo simul idem Lig. infert n. 385., quod utique benedicenda est pixis, cum in Rituali specialis assignetur benedictio *pro Tabernaculo*, *seu Vasculo pro Sacrosancta Eucharistia.* Quamvis tamen purificatoria non sint necessario benedicenda, eorum nihilominus, sicut et corporalium, et pallarum prima lotio omnino fieri debet a Diaconis, vel Subdiaconis, ex *C. Nemo* 40. *De Consecr. Dist.* 1.; licet probabiliter dicat Croix fieri etiam posse a Clerico tonsurato, cum in dicto C. dicatur: *Diaconi cum humilibus Ministris lavent.* Quod si fieret a Laicis, communius, ut ait Lig. n. 387. censetur veniale, et nullum, si ex justa causa. Lotio autem ex eodem C. mittenda est in Sacrarium. Ita demum haec urgent, ut celebrare vel sine calice, et patena consecratis, vel sine corporali, aut aliis vestibus Sacerdotalibus, vel cum iis non benedictis, tamquam certo mortale ab omnibus aestimatur: praeterquam, ut probabiliter docet Lig. n. 377., et 387., si celebraretur sine solo cingulo, vel eo non benedicto, vel etiam sine amicto: sine quibus, subdit, nullum quoque esse peccatum celebrare, si desint, et

adsit aliqua rationabilis causa celebrandi, ut fervor devotionis, etc. Addit ex Baronio, Raynando, Bona, etc. ap. Ben. XIV. *Not.* 21. *n.* 6., etiam Apostolos usos fuisse peculiaribus vestibus in Sacrificio; atque ex hujusmodi vestibus, putare Calmetum, Visconti, aliosque, fuisse *penulam*, cujus Apostolus meminit Act. 16.

204. Requiritur 4.° Missale, et Minister. Et quidem 1.m, ne Sacerdos memoriter recitet cum errandi periculo: quo absente, probabile censet Lig. n. 390., quod posset quandoque celebrare sine Missali, si hoc facile non posset haberi. Idemque esse debet juxta ritum ipsius Sacerdotis, qui, ut idem docet, graviter peccaret, si uteretur Missali Regularium, etiam in eorum Ecclesiis, vel locorum, qua transit, dicendo Missam diversi Ritus, ex Decr. S. C. *sub die* 10. *Nov.* 1622.; nisi adsit in Ordine, aut in Ecclesia privilegium a S. Sede impetratum, ut quivis Sacerdos uti possit Missali ejus Ordinis, aut Ecclesiae: uti etiam Confessarii, et Capellani Monialium possunt dicere Missas SS., de quibus ipsae recitant Officium, non tamen proprias illius Ordinis, sed cum Missali Rom., et de communi, ex Decr. ejusdem S. C., annuente Clem. XI. *die* 1. *Dec.* 1717. Minister vero, et quidem masculus, absolute requiritur sub gravi, ut certum est apud omnes, ex *C. Proposuit* 6. *de Fil. Presb.*, et ex *C.* 1. *Inhibendo de cohab. Cleric.*, ubi foeminis omnino interdicitur celebranti ministrare. Possunt tamen respondere a longe; quo in casu ob aliquam rationabilem causam licite posset celebrari sine Ministro masculo. Excipitur quoque necessitas mini-

strandi Viaticum, in qua etiam licitum esset celebrare sine Ministro: idemque concedunt *Tourn. etc.*, ut populus audiat Missam de praecepto; et Diana, ut ipse solus celebrans Missae de praecepto satisfaciat, quod Tourn. cum Sylvio nec damnat, nec approbat. Qua super re probabiliter etiam docet Lig. n. 391., quod coepta Missa, maxime si facta sit oblatio, licet celebranti pergere sine Ministro, si iste abscesserit, et de brevi non revertatur. Sicut etiam, quod celebrans scrupulum non faciat, si Minister male pronuntiet, quod suum est: nec facile ejus errores corrigat, ne turbet seipsum, vel circumstantes, vel ordinem Missae. Ac demum advertit cum D. Th. *q.* 84. *a.* 5. *ad* 12., quod *in Missis privatis sufficit unum habere Ministrum, qui gerit personam totius populi Catholici, ex cujus persona Sacerdoti pluraliter respondet*: nam c. 61. *de Consecr. Dist.* 1., ubi Soter Papa ad minus exigit duos praeter Sacerdotem, explicatur ab ipso D. Th., Bellarm., aliisque communiter de Missa solemni.

205. Requiritur 5.°, ut non celebretur, nisi semel in die, praeterquam in die Nativ. Domini, in quo permittuntur tres Missae. Excipitur tamen, si Pastor habens duas Parochias dissitas alium non habeat in die festo, qui commode possit in altera celebrare, ex communi ap. Lig. n. 351.; idque etiam declaravit Ben. XIV. Decr. edito *die* 16. *Mart.* 1746. Qui etiam refert *Not.* 36. *n.* 15., opinionem aliquorum asserentium, posse Parochum in die festo celebrare secundam Missam pro Defuncto, praesente cadavere, ex *C. Consuluisti de Cel. Miss.*, quam opinionem admi-

serat quoque Ben. XIII. *in ser.* 6. *De Purg.*, modo Parochus sit jejunus, nec alius adsit, qui pro Defuncto celebret.: ipse tamen Pontifex deinde declaravit, id non licere, *cum juxta hodiernam disciplinam* (sunt ipsius verba) *liceat Presbytero, relicta Missa de die, Missam pro Defuncto, si praesens sit corpus, cum cantu celebrare* (*Indult. Quod expensis*); nec non Missam pro populo in die festo celebrandam transferre in diem infra hebdomadam.

206. Requiritur 6.°, ut non celebretur nec ante auroram, quae ex Ben. XIV. *Not.* 12. *n.* 12. computanda est ex temporum varietate juxta tabellas, quae Directoriis Divini Officii apponi solent, nec post meridiem. Quia vero id, ut idem Lig. advertit, n. 341., non mathematice, sed moraliter accipiendum est, utique licet Missam terminare in aurora, eamque incipere parum ante meridiem: utque Ben. XIII. indulsit, cuivis Sacerdoti permittitur latitudo trientis horae tum ante auroram, tum post meridiem. Ut tamen ultra talem latitudinem celebrare sit mortale, communius, et probabilius ex Lig. n. 346. requiritur, ut integra hora celebretur ante auroram, vel post meridiem: docens simul, quod ad excusandum a veniali celebrantem minus quam hora ante auroram, vel post meridiem, non requiritur praeter causam rationabilem causa quoque, ut recentior quidam ajebat, eo die celebrandi, ut nempe sit dies festus, vel ut alii audiant Missam, et similia, sed satis esse ipsam causam praeveniendi, vel differendi: ac n. 343., et 344, posse etiam per integram horam anticipari, ac differri 1.° ex causa itineris vel funeris alicujus Magnatis, vel con-

cionis, vel publicae supplicationis. 2.° ex dispensatione Episcopi in aliquo casu particulari ex rationabili causa; vel proprii Superioris, si Sacerdos sit Religiosus. 3.° ubi consuetudo adest, ut opifices, et famuli summo mane possint audire Missam. Probabiliter etiam juxta Salm., aliosque, posse celebrari Missam privatam post solemnem in festivitate, si solemnis protrahatur ad horam, et amplius post meridiem; immo juxta Suar., aliosque etiam post duas horas, ne magna pars populi Missa careat, quod tamen Bonac. non facile concedit absque licentia Episcopi. Ac demum, ut morituro detur Viaticum, media etiam nocte licere celebrare. Omnibus autem notum est, quod idem licet quoad primam Missam in nocte Nativitatis Domini. Nec omittendum, quod quibus licet ex privilegio antevertere, vel differre horam celebrandi, non licet tamen privilegio addere etiam horae trientem omnibus permissum a Ben. XIII., cum iis liceat ex privilegio, non quidem antevertere, vel differre tempus omnibus permissum, sed antevertere auroram, vel differre post meridiem.

207. Requiritur 7.°, ut celebretur persolutis Matutino, et Laudibus, ex Rubr. Missal. *tit.* 1. *de Praep. Miss.*; quam tamen non obligare sub gravi, docet Lig. n. 347., tum quia nulla adest connexio inter Officium, et Missam, ut dici possit Matutini recitatio necessaria dispositio ad celebrandum; tum quia hujusmodi gravis obligatio neque in Rubr. exprimitur, neque communiter apprehenditur. Obligare tamen sub levi docet simul cum Ben. XIV. *de Sacr. Miss. l.* 3. *c.* 13., quia in Rubr. *tit.* 10. *de defect.* inter hos numeratur,

iis non persolutis, celebrare. Quae autem inter defectus numerantur, nequeunt ab aliqua culpa esse immunia. A qua tamen culpa excusaret, subdit, quaelibet mediocris causa rationabilis, puta si expectet populus, vel aliqua persona gravis, si Superior praecipiat, si instet commoditas studii, itineris, ec. Addens demum cum ipso Ben. XIV., quod canere Missam Conventualem, et solemnem ante Matutinum in Choro esset mortale, nisi excuset justa causa, et quidem gravis, et publica, quia talis est consuetudo recepta in omnibus Ecclesiis, ubi preces publicae dicuntur; et secus agendo, graviter laederetur publicus Dei cultus, et conveniens regimen Ecclesiae.

208. Requiritur 8.° exacta rituum observantia, de quorum obligatione in Missa praesertim celebranda satis diximus n. 32.: quibus addimus ex Lig. 1.°, mortale esse Missam celebrare cum notabili voluntaria distractione, et quia attentio interna est de essentia Orationis; et quia Sacrificium, praeter rationem Orationis, habet insuper rationem excellentissimi cultus Religionis, cui gravem videtur irrogare irreverentiam, qui dum profitetur actu Religioso Deum colere, voluntarie se distrahit (n. 410.). 2.° mortale etiam esse ex eodem omittere Confessionem cum aliis in principio Missae, Epistolam, Evangelium, Collectas principales, immo etiam duas ex iis, Praefationem, Offertorium, fractionem hostiae, et illius mixtionem in Sanguinem; sicut etiam in Canone quamlibet orationem, vel ejus verba ita mutare, ut sensus varietur; vel aliquod verbum omittere, quo sublato, reliqua verba sensum non facerent, quod et dicendum de

omissione *Pater noster*; *Agnus Dei*; *Libera nos*; *Domine, non sum dignus*; et *quid retribuam*; sicut etiam si quis omitteret decem vel octo nomina Sanctorum. Idem quoque ait dicendum de omissione purificationis patenae, et calicis post sumptionem, et non improbabiliter de omissione Evangelii S. Joannis, saltem si adsit scandalum. Si quis autem ex oblivione omisisset *Gloria*, aut *Credo*, aut *Praefationem*, *Communicantes*, *Hanc igitur* propria, sicut etiamsi unum pro alio Evangelio, vel unam pro alia Epistola dixisset, ex communi, ut ait, nullatenus sunt repetenda (n. 403., 405., et 406.). 3.°, quod licet mortale sit addere aliqua in Missa, animo introducendi novum ritum; licet quoque satius sit Rubricam servare, vetitum tamen non esse, unam tantum Collectam addere ex aliqua causa, vel ex devotione, idque etiam juxta Gobat in festo 2. classis, si adsit peculiaris causa. Collectam vero ab Ordinario impositam pro publica necessitate, ex communiori sent., omittendam esse in Festo 1., et 2. classis (n. 412.) 4.° quae alte dicenda sunt, opus non esse ita dicere, ut omnis populus vocem audiat, sed satis esse, ut adstantes attenti, nempe qui prope sunt Altare, percipere valeant, quae leguntur. Quae vero dicenda sunt secreto, ita pronunciari debere ex praecepto Rubricae, *ut ipsemet se audiat*, *et a circumstantibus non audiatur* (*p.* 1. *tit.* 16): quae si Sacerdos alte proferat, quamvis sint ipsa Consecrationis verba, non posse quidem a veniali excusari; ipsum tamen nescire damnare de mortali, neque enim videtur grave scandalum in hoc adesse, nec verum est, quod alta

illorum verborum prolatione eadem vilescerent, et audientes temere iis uti possent, secus namque Evangelium etiam S. Joannis, quod quotidie dicitur, secreto dici deberet (n. 415., et 416.). 5.° decentius esse, ut Sanguis unico haustu sumatur, post cujus sumptionem infundendam esse, ut monuit S. Pius V., in calicem talem vini quantitatem, quae Sanguinis species adaequet, ac per eamdem partem sumi debere, per quam sumptus est Sanguis. In hac autem Calicis ablutione solam aquam adhibere veniale esse; a quo tamen juxta Tamb. Sacerdotem, qui esset abstemius, excusari. In digitorum vero ablutione illam solam adhibere excusari etiam a veniali, qui id faceret vel quia abstemius, vel quia ob vinum rubeum purificatorium macularetur. (n. 408.). 6.°, quod etsi in Rubrica praescribatur, celebrantem esse debere calceatum, id tamen non obligare, nisi sub levi, ac satis esse, quod sit indutus crepidis, vulgo *pianelle*; nec ullum esse peccatum, si ex rationabili causa, eo que magis ex necessitate nudis pedibus celebraretur (n. 402.). 6.° lotionem manuum ante Missam fieri debere sub veniali, etiamque sub gravi, si manus sint valde immundae. Illam vero omittere post Missam nullum esse peccatum (n. 409.). 7.° Episcopum nominandum in Canone esse debere, non celebrantis, sed loci, et ex consuetudine universali, et ex ipsa Rubr. *p.* 2. *tit.* 8. n. 2., ubi dicitur, quod si Episcopus loci sit vita functus, omittitur nominari Episcopus. 8. dicere Missam votivam in diebus vetitis, secluso scandalo, vel contemptu, non esse nisi leve, praeterquam in Festis solemnibus, cum non videatur

notabilis perversio ritus. Non excusari tamen a mortali, qui in diebus vetitis diceret Missam *de Requiem*, cum districte vetitum fuerit Decr. S. C. 5. *Aug.* 1662., adprobato ab Alex. VII., quo dictum fuit: *Districte praecipitur, ut Missas privatas de Requiem in duplicibus nullatenus celebrare audeant. Et curent Ecclesiarum Rectores, ec., ut hujusmodi Decretum inviolate servetur.* Obligatum vero dicere Missam votivam de B. V., vel *de Requiem* ratione eleemosynae, vel Capellaniae, in diebus permissis celebrari, probabiliter juxta communissimam satisfacere celebrando Missam currentem; praeterquam si Missa dicenda esset in Altari privilegiato, quae in diebus permissis necessario dicenda est *de Requiem*, ut prosit privilegium, ex dictis n. 198.: licet enim Ecclesia permittat in illis diebus Missas votivas, decentius tamen est, Sacerdotem conformari universali ejus praescripto, ac voluntatem Ecclesiae assignantis Missam propriam diei praeferre voluntati dantis eleemosynam. Idque Salm. valere dicunt, etiamsi Sacerdos expresse talem Missam promiserit; immo et Salm., et Suaresius, et Lacroixius, etiamsi voverit illa die Missam votivam legere, cum tale votum non sit de meliori bono (n. 420., et 422.).

209. Quod demum scitu sit necessarium circa Missas votivas, praetermittendum non est. Et 1. ex Rubr. *tit.* 4. *n.* 3. prohibentur in Dominicis, et in omni festo duplici: infra octavas vero Epiphaniae, Paschatis, et Pentecostes, in die Cinerum, hebdomada majori, et in vigiliis Nativitatis Domini, et Pentecostes, ex Decr. S. C. R. 28. *Aug.* 1627.: et infra oct.

Corporis Christi, ex Decr. ejusdem S. C. 21. *Jun.* 1670. Quod et magis dicendum de Missis Defunctorum, quae insuper nec dici possunt in expositione 40. horarum, et in Ecclesia, ubi celebratur de festo duplici, ex Decr. 27. *Apr.* 1797. Quibus diebus exceptis, semper dici possunt Missae votivae, vel *De Requiem*: quod tamen, ut Rubr. praescribit l. c., *passim non fiat, nisi rationabili de causa*, ut ob petitionem dantis eleemosynam, ob specialem devotionem erga aliquod mysterium, B. V., vel Sanctum, ob lucrandam Indulgentiam Altaris privilegiati pro aliquo Defuncto, ex dictis n. 198.; non vero, ut notat Lig. n. 419., ad cito expediendam Missam, vel ob aliud simile: ubi etiam advertit, quod ex Decretis S. C. Conventuales semper concordare debent cum Officio diei, alias Canonici non lucrantur distributiones. Possunt autem celebrari etiam in diebus vetitis ex sequentibus causis. Ex Rubr. scilicet p. 1. tit. 6. *in Ecclesiis, ubi titulus est Ecclesiae, vel concursus populi ad celebrandum festum, quod transferri debet, possunt cantari duae Missae, una de die* (ubi nempe adest obligatio illam canendi), *alia de Festo, excepta Dominica* 1. *Adventus, feria* 4. *cinerum, Dominica* 1. *Quadragesimae, Dominica Palmarum cum tota hebdomada majori, Dominica Resurrectionis, et Dominica Pentecostes, cum duobus diebus sequentibus, die Nativitatis Domini, Epiphaniae, Ascensionis, et Festo Corporis Christi.* Ex Decretis vero S. C. ap. Ferraris *V. Miss. art.* 13. *n.* 5., votivae solemnes pro re gravi, et causa publica celebrari possunt etiam in Festis duplicibus de praecepto, et in Dominicis,

exceptis Dominica 1. Adventus, Feria 4. cinerum, Dominica 1. Quadragesimae, Passionis, et Palmarum usque ad feriam 3. Paschae inclusive, Dominica in Albis, Dominica Pentecostes cum duobus Festis sequentibus, Nativitate Domini, Epiphania, Ascensione, Corpore Christi, et omnibus solemnitatibus 1. classis. Declaravit autem eadem S. C. *die* 24. *Jul.* 1683., professionem Religiosam non esse rem gravem, pro qua cantari possit Missa solemnis de Spiritu S.; et consuetudinem contrariam abusum dixit. Item ex Const. Clem. XI. *die* 1. *Sept.* 1730., ubi fit expositio 40. horarum, decrevit Pontifex, quod celebretur Missa votiva solemnis de Sacramento cum Gloria, et Credo, exceptis Dominicis, et Festis 1., et 2. classis, nec non Feria 4. cinerum, et feriis 2., 3., et 4. hebdomadae majoris, diebus infra oct. Paschalis, et Pentecostes, vigiliis Nativitatis Domini, et Pentecostes, et die octava Epiphaniae; in quibus diebus statuit cantandam esse Missam communem cum Oratione SS. Sacramenti sub una conclusione: quam commemorationem voluit etiam fieri in Missis privatis, quae si celebrentur in diebus permissis de SS. Sacramento, erunt votivae sine Gloria, et Credo. Praedicta caeterum commemoratio semper potest fieri, adhuc in Missa duplici, cum illud est expositum, ex Decr. S. R. C. (Lig. n. 412.). Demum in die obitus, praesente cadavere, potest dici Missa de Requiem, adhuc in Dominicis, et Festis duplicibus, ex Decr. S. C. *die* 23. *Maji* 1603., exceptis festis 1. classis ex Decr. 5. *Jul.* 1698. Cumque primum habetur notitia de obitu alicujus, potest cantari Missa

in die obitus etiam in festo duplici, non tamen de praecepto, tunc enim differenda est in sequentem diem, ex Decr. 4. *Maji* 1686. Sicut etiam ex alio Decr. 2. *Nov.* 1662., in festo duplici etiam majori non de praecepto dici possunt Missae anniversariae solemnes relictae ex dispositione testatorum, ut quotannis dicantur in die ipsorum obitus; nec non in die tertio, septimo, et trigesimo a die obitus: cumque vel anniversarium, vel praedicti dies 3., 7., et 30. coincidunt cum festo de praecepto, potest Missa solemnis transferri in sequentem diem, ex Decr. 23. *Maji* 1603., et anniversarium tunc potest etiam anticipari, ex Decr. 5. *Jul.* 1698.

210. Cum autem dicitur Missa votiva, si sit solemnis, una tantum oratio in ea dicitur, practerquam in Missa pro gratiarum actione, in qua additur alia oratio, prout in proprio loco notatur: si vero sit privata, non est opus in ea dicere orationes impares numero, omnino tamen dicendae sunt tres orationes; in Missa nempe de Trinitate pro gratiarum actione 2. oratio erit diei, 3. pro gratiarum actione; in Missa de Spiritu Sancto 2. oratio diei, 3. *A cunctis*, vel *Concede* pro temporum varietate; quod et servatur in Missa de Sacramento, de Passione, de Angelis, ac de Sanctis quibuslibet: in Missa demum de B. V. 2. oratio diei, 3. de Spiritu Sancto; et in ferialibus, 2. de Spiritu Sancto, 3. Ecclesiae, vel pro Papa. In Missa votiva solemni pro re gravi, vel pro publica Ecclesiae causa semper dicitur Credo, et modo non dicatur cum paramentis violaceis, etiam Gloria: eademque solemnis de B. V. potest ce-

lebrari cum Gloria, et Credo, etiam ratione concursus, ex Decr. S. C. 8. *Jun.* 1658. Dicitur etiam Gloria in Missa de Angelis, quacumque die celebretur; et in Missa votiva de B. V., si celebretur in Sabbato. In festo tamen semid. alicujus Sancti infra aliquam octavam B. V. si quis dicat Missam votivam de eadem B. V., uti non debet Missa votiva communi, sed de ejus octava, sine tamen Gloria, et Credo, ex Decr. S. R. C. (Lig. n. 423.). Hic quoque advertendum, dici non posse Missas votivas festorum, quae habeant introitum, vel collectas, quorum veritas extra diem festum non servaretur. In aliis vero, in quibus veritas, et ritus verborum non violatur, nihil prohibet, quin dici possint, omittendo etiam, ubi reperitur, verbum *hodie*, et mutando in oratione verba *Natalitia*, *Festivitas*, *etc.* in *commemoratio*, aut *memoria*. Demum utique dici possunt Missae votivae de quocumque Sancto, modo de ejus canonizatione constet ex Martyr., vel aliunde, non vero Beatorum, ex Decretis S. C. (Lig. l. c.). Notat tamen Ferraris, posse etiam dici Missas votivas de Beatis non canonizatis ab illis personis, quibus a Sede Apostolica est concessa de dictis Beatis Missarum celebratio, quia tales personae, maxime in locis concessis, non viderentur exhibere illis cultum diversum ab eo, quem concessit Sedes Apostolica, sicque non viderentur contravenire ejus Decretis, ac menti: nisi concessio fuerit expresse restricta ad solam eorum diem Festivam (*V. Miss. art.* 13. *n.* 38.).

211. Advertit demum Lig. in fine hujus tract., *non licere exponi publice Divinam Eucharistiam*, *nisi*

causa pubblica, *et Episcopi facultas intervenerit*, ex Decr. Ben. XIV. 16. *Apr.* 1746. : exceptis Regularibus, quos *ex causa privata posse*, *dummodo SS. Sacramentum e Tabernaculo non extrahatur, et sit velatum*, *ita ut ipsa Sacra Hostia videri non possit*, *declaravit S. C. die* 17. *Aug*. 1630. Item ex Bulla *Quamvis justo* ejusdem Ben. XIV., jus retinendi Eucharistiam privative pertinere ad Pontificem, *ut canonica docet disciplina*, *juxta quam Eucharistia in Ecclesiis*, *quae Parochiales non sunt*, *retineri non potest absque Apostolico Indulto*, *vel consuetudine immemorabili*, *quae hujusmodi Indulti praesumptionem inducit*. Excipiuntur tantum Ecclesiae Regularium, et Monialium viventium in Clausura.

Finis Tomi tertii.

ERRATA.			CORRIGE.
Pag.	2 v.	2 differta	differt a
	10	16 ut pote	utpote
	14	23 sed tantum	sed sat tantum
	16	4 *xe*	*ex*
	ivi	25 *melioremte*	*meliorem te*
	17	21 desumendam quoque esse	desumendam esse
	185	25 *perfeciam*	*perfectam*
	189	22 ipsis	ipsius